This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

28.

172.

600003735O

M. T. CICERONIS

O R A T I O N E S

PRO

PLANCIO, PRO MILONE, PRO LIGARIO ET PRO REGE DEIOTARO.

M. T. CICERONIS

ORATIONES

PRO

PLANCIO, PRO MILONE, PRO LIGARIO ET PRO REGE DEIOTARO.

TEXTUM RECENSUIT ET SUBIECTA LECTIONIS VARIETATE NOTIS CRITICIS INSTRUXIT

GREGORIUS GOTTLIEB WERNSDORF.

IENAE

APUD FRIDERICUM FROMMANN.

1828.

172.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

PRAEFATIO.

Quod nuper meditabar, ut aliquando, quum scribendi opportunitate oblata, ad aliquot orationes Ciceronis notas criticas conscriberem, earundem contextum ita, uti in notis docuissem, emendatum exhiberem, id nunc perficere decrevi, propterea quod sic facilius naevis iis, quibus maxime velles, contextus vacuus et integer praestari videtur, quam si melior locorum ratio notis tantum demonstretur. Eiusmodi igitur editione, quae textum emendatum, notas autem, quibus meam rationem defendissem, seorsim exhiberet, praeter orationem pro Ligario, rege Deiotaro, Roscio Amerino, et Philippicam secundam, etiam Milonianam comprehendere volebam. Quae quum codicis Bavarici usu, qui Garatonio concessus erat, novam quasi speciem nacta esset, deinde etiam a Peyronio in codice Turicensi palimpsesto locus quidam, qui adhuc in

omnibus libris desiderabatur, inventus, ab eodem editore, ad similem lacunam, quam subodoratus erat, explendam, loci eo non pertinentes in orationem intrusi essent, aliique editores eos recepissent, vel propter has ipsas caussas textus repetitionem requirebat. Interea Orellius, qui doctrina exquisita et studio indefesso cum universae antiquitatis scientiam, tum Ciceronis monumenta immortalia multis nominibus adiuverat, Milonianam cum commentario Garatoniano, Peyronii, aliorum, suis denique notis atque antea prorsus simili modo orationem pro Plancio edebat, cuius textus item a Garatonio nuper codicis Bavarici ope refictus erat. Utroque libro diligentissimis de sermonis latini, maxime Ciceroniana consuetudine observationibus uberrimo, egregium et interpretandi et in arte critica ingenium exercendi praesidium praeceptoribus, qui has orationes iuvenibus interpretari vellent, comparatum erat. Quum autem, quod utramque attinet, ab Orellianae editionis textu illo quidem emendatiore nihilominus saepius mihi discedendum esset, Plancianae editione etiam plures Antiquitatum romanarum partes egregie illustratae essent, ita ut ea et rerum explanandarum, et orationis ad grammaticam rationem illustrandae exemplar eximium propositum mihi esse videretur, non tantum orationis Milonianae repetendae consilium confirmatum est, sed etiam Plancianam in locum orationis pro Roscio Amerino, et Philippicae secundae, quas edere constitueram, recipere non dubitavi. Nam quum

Planciana numero earum orationum, quae in infinitum iuventutis caussa repeti et explicari solent, vulgo excluderetur, si editione parabili, textum tantum aliquot orationum exhibente, eadem oratio comprehenderetur, doctores vel in Academiis vel in scholis orationem habituri erant, qua tractanda provectiorum ingenium in utroque genere, et in rebus reconditioribus scrutandis et in loquendi usu indagando exercerent. Quum igitur id maxime agerem, ut harum orationum contextum subinde emendatiorem exhiberem, omisso omni interpretandi labore, in quo iuventuti ab aliis satis consultum esset, faciendum tamen putavi, ut caussas exponerem, propter quas superiores editores, Graevium, Ernestium, Garatonium aliosque reliquissem. Verum eas notas peculiari libello comprehendere, et a textu segregare volui, ut orationes seorsim quaeri et viliore pretio parari possent. Ipsarum tamen orationum contextui, ut uno in conspectu haberent lectores, quantum differret haec editio a contextu editionum superiorum, subiiciendam esse putavi praecipuarum lectionum, quae dicitur diversitatem, Graevianae, Ernestianae, Schützianae, et ubi opus esset, Orellianae editionis. Diversitatis enim editionum ab Orellio curatarum, quod Plancianae et Milonianae contextum Garatonii cura et codicum auctoritate refictum exhibent, in notis textui subiectis fere non nisi tum mentionem feci, ubi ab iis discedendum esse putabam, ita ut, ubi Orellianae scripturam omittam, statuendum sit,

quod excudi curaverim, idem a Garatonio et Orellio dari. In notis vero criticis textui adnexis hanc rationem sequutus sum, ut non tantum textus mutati ubique rationem redderem, sed etiam ubi a iudicio aliorum in grammaticis quaestionibus aut rei alicuius obscurioris explanatione deflecterem, meam sententiam accurate exponerem Denique multa, quae olim ad orationem pro Ligario et rege Deiotaro scripseram, et publici iuris feceram, repetenda fuerunt, sed cuncta aucta sunt et refic̣ta. Scrib. Numburgi Sax. Id. Febr a. MDCCCXXVIII.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO

CN. PLANCIO.

M. T. CICERONIS
ORATIO
PRO
CN. PLANCIO.

SUMMARIUM C. G. SCHUETZII.

Cn. Plancius Cn. F. A. V. 695. quaestor fuerat L. Appuleii praetoris in Macedonia. Natus erat in praefectura Atinati ex familia equestri; eiusque pater publicanus fuerat. Is quum Cicero exsul in Macedoniam veniret, eum omnibus modis fovit; et simulac eum Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad eum lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est, eumque Thessalonicam in quaestorium perduxit. A. V. 697. tribunus plebis fuit, in eoque tribunatu praeter alios collegam habuit L. Racilium. A. V. 698. aedilitatem petiit, una cum M. Iuventio Laterensi, qui quum repulsam tulisset, eodem anno una cum subscriptoribus Plancium ambitus accusavit lege Licinia de sodalitiis, i. e. tribubus per sodalitia corruptis, qua lege accusatori concedebantur edititii iudices, h. e. quum in aliis iudiciis reo et accusatori liceret e iudicibus, quos praetor sortitus esset, quos vellent reiicere, in iudicio de sodalitiis accusator tantum iudices ederet. Acta causa est eodem anno, apud C. Flavium praetorem, qui quaestionem de ambitu exercebat.

In exordio orationis Cicero, qui audierat suos partim inimicos partim invidos huic accusationi favere, dolet salutem Plancii ob eam ipsam causam infestiorem esse, quod ille suam in exsilio salutem, praesidio custodiaque texerit; ostendit tamen, quum iudices videat eos, quorum nemo sit, cui salus sua cara non fuerit, se propterea recreari; miraturque M. Iuventium Laterensem ipsum quoque suae salutis studiosissimum hunc sibi reum potissimum delegisse. Et quoniam accusatores dixerant, minora esse Plancii erga Ciceronem merita, quam ab ipso praedicarentur, hoc ipsum ait sibi tractandum esse, sed modice, ne quid ipse offendat, ac tum denique dicendum quum ipsis criminibus responderit. c. 1. 2.

Attamen in causa facili atque explicata sibi hoc molestum accidere, quod contra Laterensem, amicum suum, dicendum sit, et multo magis, quod in ea causa, in qua Plancii et Laterensis videatur facienda esse contentio. Accusatorem enim se hoc uno maxime urgere, quod quaerat, qua se Plancius virtute, qua laude, qua dignitate superarit. Itaque negat Cicero eum a Plancio aut ab ullo alio dignitate potuisse superari; idem vero ait dignitatis perraro iudicem esse populum; qui et possit et soleat nonnumquam dignos praeterire; qui in comitiis non semper iudicet, sed plerumque moveatur gratia, cedat precibus, faciat eos, a quibus sit maxime ambitus. c. 4. Itaque ipsum populum loquentem facit, qui dicat se Plancium Laterensi non anteposuisse, sed beneficium potius ad eum detulisse, qui a se contenderit, quam ad eum, qui sibi non nimis submisse supplicarit. c. 5. Deinde ostendit, in hac causa non debere iudicem quaerere, quare victus sit in petitione aedilitatis a Plancio Laterensis, modo ne largitione sit victus. Populi enim libertatem in mandandis magistratibus hoc secum ferre; ut saepe etiam praetereatur is, qui si dignitas sola spectetur non debuerit praeteriri. c. 6. Sed in hac causa, populi quoque factum defendi posse. Plancium enim non obrepsisse ad honorem, sed eo

venisse cursu, qui semper patuerit hominibus equestri loco natis. Laterensis quidem nomen esse utraque familia consulare. Non tamen semper plurimos in populo nobilitati favere. Laterensem esse ex municipio antiquissimo Tusculano; Plancium esse e praefectura Atinati, non tam prisca et honorata. Attamen Atinates magis etiam favere municipibus suis quam Tusculanos; Tusculanos paucos esse si cum Atinatibus conferantur; nam hanc praefecturam esse plenam virorum fortissimorum; et vicinos quoque eius praefecturae Arpinates, Soranos, Casinates, Aquinates, totumque tractum Venafranum, Alifanum, Arpinatem, Plancii honoribus favisse. Deinde quod pater Plancii publicanus sit, totum ordinem equestrem ei studuisse. Nonnihil praeterea suas ipsius (Ciceronis) preces apud populum pro Plancio valuisse. c. 7—10. His rebus Plancium vel vitia tegere potuisse; nedum in eius vita tot et tanta adiumenta ei honori fuisse mirandum sit. Itaque Cicero eius merita laudat, quod adolescentulus cum A. Torquato in Africam profectus ab eo praecipue dilectus sit, quod fuerit in Creta contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles Q. Metelli, eique fuerit probatissimus hodieque sit; praeterea C. Sacerdotis et L. Flacci testimoniis ornetur; quod in Macedonia tribunus militum fuerit, et postea quaestor omnibus civitatibus carus et a praetore suo L. Appuleio inprimis dilectus, quod tribunatum plebis laudabiliter gesserit; quod domesticis etiam laudibus et patris omniumque suorum amore floreat. Itaque mirandum non esse hominem omnibus tam externis quam domesticis rebus ornatum factum esse aedilem. c. 11. 12.

Nihil autem efficere Laterensem, quod illum vitae Plancii splendorem maculis aliquot aspergat, nec verum esse, quod dicat accusator, ipsum patrem Plancio obesse debere. c. 13. 14.

Iam ad ipsam causam accedit; in quo primum Laterensis reprehenditur, quod quum Plancium ex lege Licinia de

sodalitiis accusarit, nihil aliud egerit, quam ut edititiis iudicibus uti posset; nihil enim eum afferre quo doceatur Plancium tribus corrupisse; sed ea tantum proferre quae ad alias de ambitu leges, non ad legem Liciniam pertinerent. Itaque poscit ab adversario, ut in quacunque tribu, cuius suffragia Plancius tulerit, vitium ostendat; se eodem modo quo id Laterensis de tribubus, quas ipse tulerit, demonstrare possit, rationem ostensurum, qua factum sit, ut illae Plancium aedilem creaverint. c. 15—19.

Praeterea iam comitiis superioribus A. V. 698. a Crasso consule legis Liciniae auctore habitis, designatum esse Plancium; in quibus ne si cogitasset quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Scilicet eo tempore de omnibus magistratibus bis suffragia ferri solebant. Itaque primis comitiis a consule habitis nullam largitionis fuisse nec esse potuisse suspicionem, ac tamen Plancium plurimum valuisse, nec mirum esse alteris comitiis aedilitiis designatum esse aedilem, quum in illis a Crasso consule habitis non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit. Ac si Laterensis post priora comitia voluisset populo submissius supplicare, se non dubitare quin omnis ad eum conversa fuerit multitudo. c. 20. Deinde Laterensem, ut minus graviter ferat, se in aedilitatis petitione praeteritum esse, exemplis consolatur eorum, qui post aedilitatis repulsam consules facti sint; simulque significat, quod petitione tribunatus destiterit, ne in legem agrariam Iulii Caesaris iuraret, non fuisse nullos, quorum animos eius ille fortis animus offenderit. c. 21. Breviter deinde aliis Laterensis argumentis respondet, quod tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius, quod nonnullas tribus paene totidem punctis uterque tulerit; quod prioribus comitiis Laterensi Aniensis tribus a Plotio, Terentina a Plancio concessa fuerit, alteris autem ab utroque eae avulsae fuerint; quod nummi in circo Flaminio deprehensi sint. c. 22. **Postremo significat Laterensem non tam argumentis in hac**

accusatione, quam opibus suis et gratia confidere, praesertim quum Plancius multos invidos et obtrectatores habeat; itaque iudices obsecrat, ne temere factis auditionibus disseminatoque sermoni credant.

Iam accedit ad L. Cassii, qui se accusatori subscriptorem in hac causa professus erat, orationem. Is Laterensem laudibus extulerat; quod illi Cicero facile concedit; reprehendit tantum quod inania quaedam et levia conquisiverit; ut Praeneste ludos fecisse, Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse; in quo, narratione de eo quid sibi ex quaestura Siciliensi redeunti acciderit praemissa, docet, plurimum profuisse Plancio quod nunquam Roma afuerit, nisi sorte, lege, necessitate; et quod assiduitate, observandis amicis, liberalitate valuerit. c. 24—27. Postremo Cassium refutat, quod ille se nimis magnum beneficium facere a Plancio in se collatum dixerat. c 28. 29.

Iam redit ad Laterensem, eumque primum reprehendit quod Ciceronem dixerat, quae de Plancio dicat, mentiri et temporis causa fingere. c. 30. Deinde eum nihil in Cispio perfecisse, quem defenderit. c. 31. Plancii tribunatum nihil adiumenti Ciceronis dignitati attulisse, ideoque nimis eum gratum esse in Plancium. c. 32. 33. Tum, postquam leviora quaedam et partim inepta Laterensis dicta confutarat, c. 34. accedit ad gravius opprobrium, quod Laterensis dixerat, quum in exsilium iret Cicero, non auxilium sibi, sed se auxilio defuisse, c. 35. 36. et mortem timuisse c. 37. Deinde, quod, quum ipse se in re publica liberum esse gloriaretur, Ciceronem liberum esse negarát. c. 38. Denique quod Plancii in se meritum nimis extolli a Cicerone dixerat, quum ei nec insidiarum nec mortis periculum fuerit. c. 40. 41.

In peroratione iudices, inprimis Flavium quaesitorem obtestatur, ut sibi eum conservent per quem ipse sit rei publicae conservatus. c. 42.

Ceterum quum inter interpretes huius orationis de anno quo habita sit haec oratio, non conveniat, aliis eam ad A. V. 698., quo Pompeius et Crassus coss. fuerunt, aliis ad A. V. 699. h. e. Domitii et Appii Pulchri consulatum referentibus, breviter causas expediam, quibus adductus eam A. V. 698. habitam esse mihi persuaserim. Primum extremo capite quaesitor nominatur C. Flavius; ideoque iam Pighius ad h. a. monuit quum vulgo c. 17. pro eo legatur C. Alfius, id nomen corruptum esse. Nam C. Alfium certum est A. 699. praetorem fuisse eique quaestionem de maiestate obtigisse. cf. ep. ad Q. fratrem III. 1 et 3. Itaque quum essent a Crasso consule ipsius legis Liciniae latore comitia habita, primum his aedilis designatus est Plancius; et quum paullo post aedilicia comitia haberentur iterum suffragia populi tulit. Praeteritus igitur Iuventius Laterensis statim post secunda illa comitia Plancium aedilem designatum ex lege Licinia de sodalitiis accusavit, et quidem ante ludos Romanos eodem fere anni tempore, quo A. 690. Murena consul designatus de ambitu fuerat accusatus. Hoc enim e c. 34. efficitur, ubi Cicero dicit Laterensem dixisse, se nolle in ludos hanc causam coniicere, ne Cicero posset aliquid de thensis misericordiae causa dicere. Itaque absolutus Plancius aedilitatem cum Plotio gessit A. V. 699. Laterensis autem praetor fuit A. 702. utrum aedilitate praetermissa, an quod eam iterum petierit et A. 700. gesserit, quae Pighii ad h. a. opinio est, mihi non liquet.

Orationem vero pro Plancio Cicero A. V. 699. multum efflagitatam absolvisse se scribit ep. ad Q. Fr. III. 1. scripta mense Sept. A. V. 699. Hoc vero eo pertinet, quod orationem illam anno superiore habitam diligentius elaboraverit, et conscriptam editioni paraverit.

(His accuratiora, praesertim quod ad temporum notationem attinet, petenda sunt ex Garatonii commentariis. OR.)

ORATIO

PRO

CN. PLANCIO.

I. Quum, propter egregiam et singularem Cn. Plancii, iudices, in mea salute custodienda fidem, tam multos et bonos viros eius honori viderem esse fautores: capiebam animo non mediocrem voluptatem, quod, cuius officium mihi saluti fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari videbam. Quum autem audirem, meos partim inimicos, partim invidos, huic accusationi esse fautores, eandemque rem adversariam esse in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuisset adiutrix: dolebam, iudices, et acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua benivolentia, praesidio, custodiaque texisset. Nunc autem vester, iudices, conspectus et consessus iste reficit et recreat mentem meam, quum intueor et contemplor unumquemque vestrum. Video enim hoc in numero neminem, cui mea salus cara non fuerit; cuius non exstet in me summum [1]) meritum; cui

1) suum *Ern. Schütz.* summum *Graev.*

non sim obstrictus memoria beneficii sempiterna. Itaque non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meae salutis apud eos obsit, qui me ipsi [1]) maxime salvum videre [2]) voluerunt: saepiusque, iudices, mihi venit in mentem, admirandum esse, M. Laterensem, hominem studiosissimum et dignitatis et salutis meae, reum sibi hunc potissimum delegisse, quam metuendum, ne vobis id ille magna ratione fecisse videatur. Quamquam mihi non sumo tantum, iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecuturum putem. Nisi eius integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero: nihil de poena recusabo. Sin omnia praestitero, quae sunt a bonis viris exspectanda: petam a vobis, iudices, ut, cuius misericordia salus mea custodita sit, ei vos vestram misericordiam, me deprecante, tribuatis. Equidem ad reliquos labores, quos in hac causa maiores suscipio, quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est, cuius ego salutem non secus, ac meam, tueri debeo, sed etiam pro me ipso, de quo accusatores plura paene quam de re reoque dixerunt.

II. Quamquam, iudices, si quid est in me ipso ita reprehensum, ut id ab hoc seiunctum sit, non me id magnopere conturbat [3]): non enim timeo, ne, quia perraro grati homines reperiantur, idcirco, quum me nimium gratum illi esse dicant, id mihi criminosum esse

1) ipsum *Ern. Graev. Schütz.* 2) videre *suspectum Ern.*

3) conturbet *Schütz. provocans ad Goerenz.* (*Cic. legg.* 3, 8.) conturbat *Ernestius auctore Graevio.*

possit. Quae vero ita sunt agitata ab illis, ut aut merita Cn. Plancii erga me minora esse dicerent, quam a me ipso praedicarentur; aut, si essent summa, negarent ea tamen ita magni, ut ego putarem, ponderis apud vos esse debere: haec mihi sunt tractanda, iudices, et modice, ne quid ipse offendam; et tum denique, quum respondero criminibus [1]), ne non tam innocentia reus sua, quam recordatione meorum temporum, defensus esse videatur.

Sed mihi in causa facili atque explicata, perdifficilis, iudices, et lubrica defensionis ratio proponitur. Nam, si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere: tamen id ipsum esset in tanto usu nostro tantaque amicitia molestum. Vetus enim est lex illa iustae veraeque amicitiae, quae mihi cum illo iam diu est, ut idem amici semper velint; neque est ullum certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Mihi autem non id est in hac re [2]) molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis, quod in ea causa contra dicendum est, in qua quaedam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. Quaerit enim Laterensis, atque hoc uno maxime urget, qua se virtute, qua laude Plancius, qua dignitate superarit. Ita, si cedo illius ornamentis, quae multa et magna sunt: non solum huius [3]) dignitatis iactura facienda est, sed etiam largitionis recipienda su-

1) omnibus *unus Graevius ex Erfort. cod.*

2) non modo est in hac re *Ern. Schütz. at Graev. habet, ut est in contextu.*

3) huic *Gronov. auctore legit Ern. et Lallem.* huius *Graev. Wolf. Schütz.*

spicio est. Sin hunc illi antepono: contumeliosa habenda est oratio, et dicendum est id, quod ille me flagitat, Laterensem a Plancio dignitate esse superatum. Ita aut amicissimi hominis existimatio offendenda est, si illam accusationis conditionem sequar: aut optime de me meriti salus deserenda est.

III. Sed ego, Laterensis, caecum me et praecipitem ferri confitear in causa, si te aut a Plancio, aut ab ullo, dignitate potuisse superari dixero. Itaque discedam ab ea contentione, ad quam tu me vocas, et veniam ad illam, ad quam me causa ipsa deducit. Quid? tu dignitatis [1]) iudicem putas esse populum? Fortasse nonnumquam est. Utinam vero semper esset! Sed est perraro, et si quando est, in iis magistratibus est mandandis, quibus salutem suam committi putat: his levioribus comitiis, diligentia, et gratia petitorum honos paritur, non iis ornamentis, quae esse in te videmus. Nam, quod ad populum pertinet, semper dignitatis iniquus iudex est, qui aut invidet, aut favet. Quamquam nihil potes in te, Laterensis, constituere, quod sit proprium [2]) laudis tuae, quin id tibi sit commune cum Plancio. Sed hoc totum agetur alio loco; nunc tantum disputo de iure populi; qui et potest et solet nonnumquam dignos praeterire; nec, si a populo praeteritus est, quem non oportuit, a iudicibus condemnandus est, qui praeteritus non est. Nam si ita esset: quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut repre-

1) idoneum *inserunt Ern. et Schütz.* tu an dignitatis iudicem *Graev.* d. non inanem *Manut.*

2) *Ern. abundare putabat, sed Schütz. recte retinuit.*

hensores essent comitiorum, id haberent iudices vel [1]) quod multo etiam minus est [2]) ferendum. Tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti: nunc postulatur a vobis, ut eius exsilio, qui creatus sit, iudicium populi Romani reprehendatis. Itaque quamquam, qua nolui, ianua sum ingressus in causam, sperare videor, tantum afuturam esse orationem meam a minima suspicione offensionis tuae, te ut potius obiurgem, quod iniquum in discrimen adducas dignitatem tuam, quam ut ego eam ulla contumelia coner attingere.

IV. Tu continentiam, tu industriam, tu animum in rem publicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quod aedilis non sis factus, fractos esse et abiectos et repudiatos putas? Vide tandem, Laterensis, quantum ego [3]) a te dissentiam. Si, medius fidius, decem soli essent in civitate viri boni, sapientes, iusti, graves, qui te indignum aedilitate iudicavissent: gravius de te iudicatum putarem, quam est hoc, quod tu metuis, ne a populo iudicatum esse videatur. Non enim comitiis iudicat semper populus, sed movetur plerumque gratia; cedit precibus; facit eos, a quibus est maxime ambitus. Denique, si iudicat, non dilectu aliquo aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu nonnumquam, et quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen,

1) vel *eiecit Schütz.*

2) quod multo etiam minus esset *Schütz. et Ern. at Graev. habet, ut est in textu.*

3) ego *omisit Ern. habet Graev. Schütz. Wolf.*

Deinde sitientem me virtutis tuae deseruisti ac dereliquisti. Coeperas enim petere tribunatum plebis temporibus iis, quae istam eloquentiam et virtutem requirebant: quam petitionem quum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi: si nolle, de voluntate. Sin, quod magis intelligo, temporibus te aliis reservasti: ego quoque, inquiet populus Romanus [1]), ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras. Pete igitur eum magistratum, in quo mihi magnae utilitati esse possis; aediles quicumque erunt, iidem mihi sunt iudices [2]) parati: tribuni plebis, permagni interest, qui sint. Quare aut redde mihi quod ostenderas: aut, si, quod mea minus interest, id te magis forte delectat, reddam tibi istam aedilitatem, etiam negligenter petenti. Sed amplissimos honores ut pro dignitate tua consequare, condiscas, censeo, mihi paullo diligentius supplicare.«

VI. Haec populi oratio est; mea vero, Laterensis, haec: Quare victus sis, non debere iudicem quaerere, modo ne largitione sis victus. Nam si, quotiescumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit, eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam est, quod populo supplicetur; nihil, quod diribitio, nihil, quod [supplicatio magistratuum,] renuntiatio [suffragiorum] exspectetur [3]); simul ut, qui sint professi,

1) inquam, et res publica *Ern. Graev. Schütz.*

2) iudices *Graev.* ludi *Schütz. Ern. Orell.*

3) nihil quod diremptio, nihil, quod (supplicatio magistratuum) renuntiatio suffragiorum exsp. *Ern.* nihil quod diribitio, nihil quod supplicatio mag. renunt. suffr. exspect. *Graev.* nihil quod diremptio, nihil quod renuntiatio suffragiorum exspectetur *Schütz.*

videro, dicam: hic familia consulari est, ille praetoria; reliquos video esse [1]) equestri loco: sunt omnes sine macula, sunt aeque boni viri atque integri; sed servari necesse est gradus: cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio nomine [2]) equester locus. Sublata sunt studia, exstinctae suffragationes, nullae contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus, nulla exspectatio suffragiorum: nihil, ut plerumque evenit, praeter opinionem accidet: nulla erit posthac varietas comitiorum. Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur: si campus, atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu studiorum et motu temeritatis, modum aliquem, et consilium, et rationem requiremus? Quare noli me ad contentionem vestrûm vocare [3]), Laterensis. Etenim si populo grata est tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur: cur tu id in iudicio ut fiat, exprimis [4]), quod non fit in campo? Hic, quam ille, dignior: perquam grave est dictu. Quomodo igitur est aequius? Sic credo: quod agitur; quod satis est iudici: hic factus est. Cur iste potius, quam ego? Vel nescio, vel non dico, vel denique, quod mi-

1) *Ern. Graev. addunt ex. Schütz. omittit.*

2) praetorio equester *Ern. Schütz.* cum praetor. nom. *Graev.*

3) vestram revocare *Ern. Graev. Schütz.*

4) tu in iudicio exprimis *Ern. Schütz. at Graev. ut est in textu, modo interpunxit post* iudicio; *Orellius etiam verba* ut fiat *uncis inclusit.*

hi gravissimum esset si dicerem [1]), sed impune tamen deberem dicere: Non recte. Nam quid assequerere [2]), si illa extrema defensione uterer: Populum, quod voluisset, fecisse, non quod debuisset?

VII. Quid? si populi quoque factum defendo, Laterensis, et doceo, Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus ortis [3]) hoc nostro equestri loco, possumne eripere orationi tuae contentionem vestrûm [4]), quae tractari sine contumelia non potest, et te ad causam aliquando crimenque deducere? Si, quod equitis Romani filius est, inferior esse debuit: omnes tecum equitum Romanorum filii petiverunt. Nihil dico amplius. Hoc tamen miror, cur tu huic potissimum irascare, qui longissime a te afuit. Equidem, si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor: sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit. Tu neque Q. Pedio, forti viro, succenses, neque huic A. Plotio, ornatissimo homini, familiari meo: et ab eo, qui hos dimovit [5]), potius, quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas. Sed tamen haec tibi est prima cum Plancio, generis vestri familiaeque contentio, qua abs te vincitur. Cur enim non confitear, quod necesse est? Sed non hic magis, quam ego a meis competitoribus, et alias, et in consulatus petitione vin-

1) sic dicere *Ern. Graev. Schütz. Wolf.*
2) assequerer *Ern. Graev. Schütz.* assequerere *amplectitur Wolf.*
3) *abest* ortis *in Ern. Schütz. Wolf. non item in Graev.*
4) vestram *Ern. Graev. Schütz.*
5) demovit *Schütz.*

cebar. Sed vide, ne haec ipsa, quae despicis, huic suffragata sint. Sic enim conferamus. Est tuum nomen utraque familia consulare. Num dubitas igitur, quin omnes, qui favent nobilitati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te aedilem fecerint? Equidem non dubito. Sed, si parum multi sunt, qui nobilitatem ament: num ista est nostra culpa? Etenim [1]) ad caput et ad fontem utriusque generis veniamus.

VIII. Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimae familiae sunt consulares, in quibus est etiam Iuventia; tot [2]) e reliquis municipiis omnibus non sunt. Hic est e praefectura Atinati, non tam prisca, non tam honorata, non tam suburbana. Quantum interesse vis ad rationem petendi? Primum utrum magis favere putas Atinates, an Tusculanos, suis? alteri (scire enim hoc propter vicinitatem facile possum) quum huius ornatissimi atque optimi viri, Cn. Saturnini, patrem aedilem, quum praetorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in praefecturam illam, sellam curulem attulisset, mirandum in modum laetati sunt; alteros, (credo, quia refertum est municipium consularibus; nam malivolos non esse certo scio,) numquam intellexi vehementius [municipum [3])] suorum honore laetari. Habemus hoc nos: habent nostra municipia. Quid ego de me, de fratre meo loquar? quo-

1) at enim *Ern. legendum putat.*

2) quot *Ern. Schütz.* tot *vero Graev.*

3) hominum *sine uncinis Ern. et Schütz. at Graev.* municipum, *sed sine uncinis.* hominum *Urs. cod.*

rum honoribus agri, prope dicam, ipsi montesque faverunt. Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo, in omni virtute principe, num de Ti. Coruncanio, municipe suo, num de tot Fulviis gloriari? verbum nemo facit. At, in quemcumque Arpinatem incideris, etiamsi nolis, erit tamen tibi, fortasse etiam [1]) de nobis aliquid, aliquid — sed [2]) certe — de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit studia suorum ardentia: tu tanta, quanta in hominibus iam saturatis honoribus esse potuerunt. Deinde tui municipes, sunt illi quidem splendidissimi homines: sed tamen pauci, si quidem cum Atinatibus conferantur. Huius praefectura, plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. Quam quidem nunc multitudinem videtis, iudices, in squalore et luctu supplicem vobis. Hi tot equites Romani, tot tribuni aerarii (nam plebem a iudicio dimisimus, quae cuncta comitiis adfuit,) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt? Non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, sed dignitatem, sed oculorum coniectum, sed solidam et robustam et assiduam frequentiam praebuerunt.

Iam nostra [3]) municipia coniunctione etiam vicinitatis vehementer moventur. IX. Omnia, quae dico de Plancio, dico expertus in nobis Sumus enim finitimi Atinatibus. Laudanda est, vel etiam amanda vicinitas, retinens veterem illum officii morem, non infu-

1) *abest* etiam *in Ern. Schütz. at non in Graev.*
2) sed *inserunt Graev. Garat. omittunt Ern. Schütz.*
3) *abest* nostra *ab Ern. et Graev.*

scata malivolentia, non assueta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano, vel etiam urbano. Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas. Totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus, tota denique nostra illa aspera, et montuosa, at [1]) fidelis, et simplex, et fautrix suorum regio, se huius honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur. Iisdemque nunc a [2]) municipiis adsunt equites Romani publice, cum legatione et testimonio [3]): nec minore nunc sunt sollicitudine, quam tum erant studio. Etenim est gravius, spoliari fortunis, quam non augeri dignitate. Ergo ut alia in te erant illustriora, Laterensis, quae tibi maiores tui reliquerant: sic te Plancius hoc non solum municipii, verum etiam vicinitatis genere vincebat. Nisi forte te Labicana, aut Gabina, aut Bovillana [4]) vicinitas adiuvabat. Quibus e municipiis vix iam, qui carnem Latinis petant, reperiuntur [5]). Adiungam, si vis, id, quod tu huic obesse etiam [6]) putas, patrem publicanum: qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum rei publicae, publicanorum ordine continetur. Quis est igitur, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Plancii singulare? Neque iniuria; vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publica-

1) *omnes ceteri* et. *Garaton.* at.

2) ex *Graev. Ern.* a *Schütz.*

3) legationis testimonio *Graev. Ern. Schütz.*

4) Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina *Graev. Ern. Schütz.*

5) inveniuntur *Graev. Ern. Schütz.*

6) etiam huic obesse *Ern. Graev. Schütz.*

norum; vel quod is ab sociis unice diligebatur; vel quod diligentissime rogabat; vel quia pro filio supplicabat; vel quia huius ipsius [1]) in illum ordinem summa officia quaesturae tribunatusque constabant; vel quod illi in hoc ornando ordinem se ornare, et consulere liberis suis arbitrabantur.

X. Aliquid praeterea, — timide dico, sed tamen dicendum est; — non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. Appellavi populum, tributim [2]) submisi me, et supplicavi; ultro mehercule [3]), se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi. Valuit causa rogandi, non gratia. Nec, si vir amplissimus, cui nihil est, quod roganti concedi non iure possit, de aliquo, ut dicis, non impetravit, ego sum arrogans, quod me valuisse dico. Nam, ut omittam illud, quod ego pro eo laborabam, qui valebat ipse per sese: rogatio ipsa semper est gratiosissima, quae est officio necessitudinis coniuncta maxime. Neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia huius parente semper plurimum essem usus: sed ut quasi parenti, et custodi salutis meae [4]). Non potentia mea, sed causa rogationis fuit gratiosa. Nemo mea restitutione laetatus est, nemo iniuria doluit, cui non huius in me misericordia grata fuerit. Etenim, si ante reditum meum Cn.

1) *abest* ipsius *ab Ern. et Schütz. at non in Graev.*
2) tribubus *Ern. Graev. Schütz.*
3) mehercules *Ern. Graev. Schütz.*
4) custodi meo *Ern. et Schütz. at Graev. ut est in contextu.*

Plancio se vulgo viri boni, quum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse? An Minturnenses coloni, quod C. Marium e civili ferro [1]), atque ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia fluctibusque recrearunt [2]), quod viaticum congesserunt, quod navigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam servaverat, votis, ominibus, lacrymisque [3]) prosecuti sunt, aeterna in laude versantur: Plancio, quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem receperit, iuverit, custodierit; his, et senatui, populoque Romano, ut haberent, quem reducerent, conservarit: honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse miraris?

XI. Vitia mehercule Cn. Plancii, res eae [4]), de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu, in ea vita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere. Hic est enim, qui adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo gravissimo, et sanctissimo, atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, ut et contubernii necessitudo, et adolescentuli modestissimi pudor postulabat; quod, si [5]) adesset, non minus ille declararet, quam hic illius frater pa-

1) ex civili cruore *Urs. et Grut. codd. et Schütz.* e civili errore *Ern.* civili errore *Graev.*

2) fluctibusque confectum recrearunt *Schütz. et Wolf. quod in notis Graev. quoque probat.*

3) votis, ominibus, lacrymis *Ern. et Schütz. Orell. solus:* lacrymis, votis ominibusque. *Graev. ut est in textu.*

4) res hae *Ern. et Schütz. hic quidem deleto commate post* Plancii. *Graev.* eae res.

5) postulabat. Qui si adesset *Ern. Graev. Schütz.*

truelis, et socer T. Torquatus, illi omni et [1]) virtute et laude par: qui est quidem cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus, sed ita magni [2]) amoris, ut illae necessitudinis causae leves esse videantur. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles huius Q. Metelli, quibus quum fuerit probatissimus, hodieque sit: omnibus esse se probatum debet sperare. In ea provincia legatus fuit C. Sacerdos: qua virtute, qua constantia vir? L. Flaccus: qui homo? qui civis? qualem hunc putent, assiduitate testimonioque declarant. In Macedonia tribunus militum fuit: in eadem provincia postea quaestor. Primum Macedonia sic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum suarum: qui quum missi sint ob aliam causam, tamen huius repentino periculo commoti, huic assident, pro hoc laborant: huic si praesto fuerint, gratius se civitatibus suis facturos putant, quam si legationem suam et mandata [3]) confecerint. L. vero Appuleius hunc tanti facit, ut morem illum maiorum, qui praescribit, in parentum loco quaestoribus suis praetores esse oportere, officiis benivolentiaque superarit. Tribunus plebis fuit, non fortasse tam vehemens, quam isti, quos tu iure laudas: sed certe talis, quales si omnes semper fuissent [4]), numquam desideratus vehemens esset tribunus [5]).

1) *abest* et *a Graev. Ern. Schütz.*

2) magnis *Urs. Schütz. Wolf. Or.* magni *Ern. Graev.*

3) legationem et mandata sua *Ern. Graev.* legationem suam et mandata *Schütz.*

4) fuissent semper *Ern. convertit ordinem Graev. et Schütz.*

5) esset vehemens tribunus *Graev.* vehemens esset tribunus *Gar. Ern. Schütz.*

XII. Omitto illa, quae si minus in scena sunt, at certe, quum sunt prolata, laudantur: ut vivat cum suis; primum cum parente, (nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum,) quem veretur ut deum, (neque enim multo secus est [1]) parens liberis,) amat vero ut sodalem, ut fratrem, ut aequalem. Quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc C. Saturnino, ornatissimo viro? cuius quantam honoris huius cupiditatem fuisse creditis, quum videtis [2]) luctus societatem? Quid de me dicam? qui mihi in huius periculo reus esse videor? quid de his tot viris talibus, quos videtis veste mutata? Atque haec sunt indicia solida, iudices, et expressa; haec signa probitatis non [3]) fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis; adspicitur, non attrectatur; procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur. Omnibus igitur rebus ornatum hominem, qua externis, qua [4]) domesticis; nonnullis rebus inferiorem, quam te, generis, dico, et nominis [5]): superiorem aliis, municipum, vicinorum, societatum studio, temporum meorum memoria; parem virtute, integritate, modestia, aedilem factum esse miraris?

Hunc tu vitae splendorem maculis adspergis istis? Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, sed ne

1) est multo secus *Graev. Ern. Schütz.* multo secus est *Or. e Bavar.*

2) videatis *Graev. Ern. Schütz.*

3) iudices, haec expressa signa probitatis, non *ex Ursini cod. Garat. Wolf. Schütz.*

4) tam — quam *Graev. Ern. Schütz.*

5) generis et nominis, dico *Graev. Ern. Schütz.*

suspicione quidem possit agnoscere. Bimaritum appellas, ut verba etiam fingas, non solum crimina. Ductum esse ab eo in provinciam aliquem dicis, libidinis causa: quod non crimen est, sed impunitum in maledicto [1]) mendacium. »Raptam esse mimulam.« Quod dicitur Atinae factum a iuventute [2]), vetere quodam in scenicos iure maximeque oppidano. O adolescentiam traductam eleganter! cui quidem quum, quod licuerit, obiiciatur, tamen id ipsum falsum reperiatur. »Emissus aliquis e carcere.« Et [3]) quidem emissus per imprudentiam, emissus ut cognostis, necessarii hominis optimique adolescentis rogatu: idem postea praemandatis [4]) requisitus. Atque haec, nec ulla alia, sunt coniecta maledicta [5]) in eius vitam, de cuius vos pudore, religione, integritate dubitetis. XIII. Pater vero, inquit, etiam obesse filio debet. O vocem duram atque indignam tua probitate, Laterensis! Pater ut in iudicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarum, pater ut apud tales viros obesse filio debeat? qui si esset turpissimus, si sordidissimus, tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices et misericordes; valeret, inquam, communi sensu omnium, et dulcissima commendatione naturae. Sed quum sit Cn. Plancius is

1) in maledicto *sine uncis apud Graev. Ern. Schütz. et Garat. Inclusit Orell. et* impunitum maledici mendacium *scribendum esse putat.*

2) a iuvene *Ern. Graev. Schütz.* a iuventute *Garat. II. ex Bavar.*

3) Emissus aliquis e carcere, et quidem *Graev. Ern. Schütz.*

4) praetoris mandatu *hanc Turnebi coniecturam temere recepit Schützius.*

5) *abest* maledicta *a Schützii editione, et Ern. suspecta erat vocula, sed nihil verius ea vocula.*

eques Romanus, ea primum vetustate equestris nominis [1]), ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes equites Romani fuerint, summum in praefectura florentissima gradum tenuerint et dignitatis et gratiae; deinde, ut ipse in legionibus P. Crassi, imperatoris, inter ornatissimos homines, equites Romanos, summo splendore fuerit; ut postea princeps inter suos, plurimarum rerum sanctissimus et iustissimus iudex, maximarum societatum auctor, plurimarum magister: si non modo in eo nihil umquam reprehensum, sed laudata sunt omnia: tamen is oberit honestissimo filio pater, qui vel minus honestum et alienum tueri vel auctoritate sua, vel gratia possit? »Asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando.« Immo fortasse liberius. »At id ipsum, inquit, non est ferendum.« Ergo hi ferendi sunt, qui hoc [2]) queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse? Ubinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa civilibus, extollere iam caput, et aliquando recreata, se erigere debebat? Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scaevolam, virum omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, aspere, et808 ferociter, et libere dicta commemorem?

XIV. Consuli P. Nasicae praeco Granius, medio in foro, quum ille, edicto iustitio, domum descendens [3]) rogasset Granium, quid tristis esset: an quod reiectae

1) ordinis *Graev. Ern. Schütz.*

2) *Garat. et Orell. omiserunt Bav. lectionem:* hoc. *atque item omnes ceteri editores.*

3) discedens *Garat. Manut. Schütz.* decedens *Orell. ut est in textu, etiam Graev. et Ern.*

auctiones essent?« »Immo vero, inquit, quod legationes [1]).« Idem tribuno plebis, potentissimo homini, M. Druso, sed multa in re publica [2]) molienti, quum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, »Quid agis Grani?« respondit, »Immo vero, tu Druse, quid agis?« Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis saepe perstrinxit impune. Nunc usque eo oppressa vestra arrogantia civitas est, ut, quae fuit olim praeconi in ridendo, nunc equiti Romano in plorando non sit concessa libertas. Quae enim umquam Plancii vox fuit [3]) contumeliae potius, quam doloris? quid est autem umquam questus, nisi quum a sociis et a se iniuriam propulsaret? Quum senatus impediretur, quo minus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus Romanis redderetur: omnibus illa iniuria dolori publicanis fuit: sed eum ipsum dolorem hic tulit paullo apertius. Communis ille sensus in aliis fortasse latuit: hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis quam ceteri, et vultu promptum habuit, et lingua. Quamquam, iudices, (agnosco enim ex me,) permulta in Plancium, quae ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed aut [4]) contentione dicendi, aut lacessitus; et quia, ut fit, in multis exit [5]) aliquando ali-

1) leges *improbante Wolfio Schützius.* legiones *Ern.* legationes *Graev.*

2) rem publicam *Ern. Graev. Schütz.* in re publica *Garat. Lamb. Weisk.*

3) fuit Plancio vox *Ern. Schütz.* Plancii vox *Graev.*

4) *abest* aut *ab Ern. Graev. Schütz.*

5) ut fit in multis, exit *Ern. Graev.*

quid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem, si quid est, quod mihi scitum esse videatur, et homine ingenuo dignum atque docto, non aspernor; stomachor vero, quum aliorum non me digna in me conferuntur. Nam quod primus scivit legem de publicanis, tum, quum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset, si in eo crimen est, quia suffragium tulit: quis non tulit publicanus? si, quia primus scivit: utrum id sortis esse vis, an eius, qui illam legem ferebat? Si sortis: nullum crimen est in casu; si consulis: splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem esse ordinis [1]) iudicatum.

XV. Sed aliquando veniamus ad causam. In qua tu nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es. Neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi editicios iudices, secutus es [2]): quod genus iudiciorum si est aequum ulla in re [3]), nisi hac tribuaria: non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas, de ipso denique ambitu, reiectionem fieri voluerit iudicum alternorum; quumque nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen unum praetereundum putarit. Quid? huiusce [4]) rei tandem obscura causa est? an et agitata

1) ordinis esse *Ern. Schütz.* esse ordinis *Graev.* esse *omitti vult Garat.*

2) es secutus *Garat. Ern. Graev. Schütz.* secutus es *Lamb.*

3) nulla in re *Ern. Graev. ut est in textu.*

4) huius *Graev. Ern. Schütz.*

tum [1]), quum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosissime [2]) a Q. Hortensio, cui tum est senatus assensus [3])? Hoc igitur sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset et [4]) per hanc consensionem, quae magis honeste [5]) quam vere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum. Ita putavit senatus, quum reo tribus ederentur eae, quas is largitione devinctas haberet, eosdem fore testes et iudices. Acerbum omnino genus iudicii: sed tamen, si vel sua, vel ea, quae maxime esset cuique coniuncta, tribus ederetur, vix recusandum.

XVI. Tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo. Fuit id certe [6]) aequum, et certe [7]) exspectatum est, et fuit dignum constantia tua. Cuius tu tribus venditorem, et corruptorem, et sequestrem Plancium fuisse clamitas: eam tribum profecto, severissimorum praesertim hominum et gravissimorum, edere debuisti. At Voltiniam: lubet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari, — hanc igitur ipsam cur non edidisti? Quid Plancio cum Lemonia? quid

1) *abest* tum *apud Ern. Graev. Schütz.*

2) copiosius *omnes ceteri; Orell. ex Erf. unus reposuit:* copiosissime.

3) *ut est distinctum in textu, recte Graev. ceteri male:* Hortensio? cui tum est senatus assensus.

4) et *omittunt Graev. Ern. Schütz. Orell. probat Wolf.*

5) honeste magis *Ern. Graev. Schütz.*

6) *omittitur* certe *apud Grut. Lamb. Ern. et Schütz. habet Graev. et Garat. nisi quod Graev. legit* certe id.

7) certo *vult Orellius.*

cum Ufentina [1])? quid cum Crustumina? nam Maeciam [2]), non quae iudicaret, sed quae reiiceretur, esse voluisti. Dubitatis igitur, iudices, quin vos M. Laterensis suo iudicio, non ad sententiam legis, sed ad suam spem aliquam de civitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, quum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc observatas, non largitione corruptas [3])? Quid enim potest dicere, cur ista editio non summam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo secuti sumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles existimes; tu, me ignaro, nec opinante, inscio [4]) notes et tuos, et tuorum necessarios, vel iniquos vel [5]) meos, vel etiam defensorum meorum; eodemque adiungas, quos natura putes asperos, atque omnibus iniquos; deinde effundas repente, ut ante consessum meorum [6]) iudicum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari; apud eosque me, ne quinque quidem reiectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere — non enim, si aut Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem, aut tu ita errasti,

1) Veientina *Graev. Ern. Schütz.* Ufentina *Grut. Garat.*

2) Metiam *Graev. Ern. Schütz.*

3) *primus addidit Graev.*

4) inscio *Graev.* invito *voluit Ern. Wopkens.* in sinu *coni. Schütz. et recepit, probat Orell. sed improbat iure Wolf.*

5) *Graev.* vel inimicos. *Ern.* vel iniquos. *Schütz.* vel iniquos meos, vel.

6) eorum *Graev. Ern. Schütz.* meorum *Garat.*

ut eos ederes imprudens, ut nos, invito te, tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus —. iccirco ista editio per se non acerba est [1]).

XVII. An vero nuper clarissimi cives nomen editicii [2]) iudicis non tulerunt, quum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus reiiceret, L referret, omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi conditionique parerent: nos neque ex delectis iudicibus, sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiiciamus? Neque ego nunc legis iniquitatem queror, sed factum tuum a sententia legis doceo discrepare: et illud acerbum iudicium, si, quemadmodum senatus censuit, populusque iussit, ita fecisses, ut huic [3]) et suam, et ab hoc observatas tribus ederes; non modo non quererer, sed hunc, iis [4]) iudicibus editis, qui testes iidem esse possent, absolutum putarem: neque nunc multo secus existimo. Quum enim has tribus edidisti: ignotis te iudicibus uti malle, quam notis indicavisti, fugisti sententiam legis; aequitatem omnem reiecisti; in tenebris, quam in luce, causam versari maluisti. Voltinia tribus ab hoc corrupta: Terentinam habuerat venalem. Quid diceret apud Voltinienses, aut tribules suos iudices? immo vero tu quid diceres? quem iudicem ex illis aut tacitum testem habe-

1) *Omnes ceteri interrogandi signa post:* existimes ... meorum .... iniquos .... suspicari ... dicere *ponunt, sed omittunt parentheseos signa post* dicere *et* veniremus.

2) editi *Graev. Ern. Schütz.*

3) in hunc *Ern. Graev. Schütz.*

4) *abest* iis *ab Ern. Graev. Schütz.*

res, aut vero etiam excitares? Etenim, si reus tribus [1]) ederet, Voltiniam fortasse Plancius propter necessitudinem ac vicinitatem, suam vero certe edidisset [2]). Et, si quaesitor huic [3]) edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, quem habet, cui notissimus esse debet, vicinum [4]), tribulem, gravissimum hominem iustissimumque, edidisset? cuius quidem aequitas, et ea voluntas [5]) erga Cn. Plancii salutem, quam ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert, facile declarat, non fuisse fugiendos tribules huic iudices [6]), cui quaesitorem tribulem exoptandum fuisse videatis.

XVIII. Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod non eas tribus, quibus erat hic maxime notus [7]), edideris: sed a te doceo consilium non servatum senatus. Etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo agnosceret, repudiarent [8]). An gratiosum? illi libenter audirent: nos non timide confiteremur. Noli enim putare, Laterensis, legibus istis, quas senatus de ambitu sancire voluerit, id esse actum, ut suffragatio, ut observantia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni viri, qui

1) tribum *Graev. Ern. Schütz.*

2) propter vicinitatem ac necessitudinem suam, non edidisset *Graev. Ern. Schütz.*

3) *abest* huic *ab Ern. Graev. Schütz.*

4) quem vicinum *Schütz. e coniect. Ern.*

5) meae similis voluntas *Graev. Ern. Schütz.*

6) fugiendum tribulem huic iudicem *Graev. operarum vitio, quum in notis scribi iuberet, ut est in nostro contextu. Ern. et Schütz. item vulgatam.*

7) hic maxime notus erat *Graev. Ern. Schütz.*

8) repudiaretur *Graev. Ern. Schütz.*

apud tribules suos gratiosi esse vellent. Neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam coli nostra modica liberalitate noluerit: neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent. Haec enim plena sunt officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis. Isto in genere et fuimus ipsi, quum ambitionis nostrae [1]) tempora postulabant, et clarissimos viros esse vidimus, et hodie esse videmus quamplurimos gratiosos. Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus, et bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. Haec doce, haec profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse: tum mirabor, te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluisse. Tribulibus enim iudicibus, non modo severitatem illorum, si ista vera sunt, sed ne vultus quidem ferre possemus. Hanc tu rationem quum fugeris, quumque eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto quum [2]) scientia certissima, tum dolor gravissimus esse debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc sibi oneris imposueris, cur se potissimum delegeris, cur denique se divinare malueris, quam eos, qui scirent, iudicare?

XIX. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico, et habuisse in petitione multos cupidos

1) nostra *Garat. I.* nostrae *Lamb. coniectura postea codd. auctoritate firmata.*

2) tum *legit Schütz.* quum *Graev. Ern.*

sui, gratiosos: quos tu si sodales vocas; officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. Sin, quia gratiosi sunt, accusandos putas; noli mirari, te id, quod tua dignitas postularit, repudiandis gratiosorum amicitiis non esse assecutum. Iam, ut ego doceo, gratiosum esse in sua tribu [1]) Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas plurimos patris auctoritate et gratia miserit: quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per maiores suos totam Atinatem praefecturam comprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriavisse. Quod [2]) si non potes: noli tollere ex ordine nostro liberalitatem, noli maleficium putare esse gratiam, noli observantiam sancire poena.

Itaque haesitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine, ad communem ambitus causam contulisti, in qua desinamus aliquando, si videtur, vulgari et pervagata declamatione contendere. Sic enim tecum ago. Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Ego, si id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit, docebo. Estne haec vera contentio? placetne sic agi? Num [3]) possum magis pedem conferre, (ut aiunt) aut propius accedere? Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen; quamcum-

1) tribulibus *Graev. Ern. Schütz.* in sua tribu *cod. Erf.*

2) quid *operarum vitio Orell.*

3) Non — accedere. *Schütz. Graev. Ern.* Num *probat et Wolfius.*

que tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium; ego, qua ratione tulerit, docebo; nec erit haec alia ratio Plancio ac tibi, Laterensis [1]). Nam ut quas tribus tu tulisti, si iam ex te requiram, possis, quorum studio tuleris, explicare: sic ego hoc contendo, me tibi ipsi adversario, cuiuscumque tribus rationem poposceris, redditurum.

XX. Sed cur ego [2]) sic ago? Quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis. Quae comitia primum habere coepit consul, quum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito, praeter opinionem omnium; ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Vocatae tribus; latum suffragium; diribitae [3]), renuntiatae; longe plurimum valuit Plancius. Nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. Ain tandem? [4]) una centuria praerogativa, tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium [5]) factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cuius in honore non unius tribus pars,

1) ac Laterensi *Ern. Schütz.*

2) *omittitur* ego *a Graev. retinetur ab Ern. Gronov. Schütz.*

3) diribitae *Garat. et Orell. probant iure,* diremtae *vero Orell. praeoptat. Ceteri editores Ern. Graev. Schütz.* descriptae.

4) ain tandem? *Manut. e cod. Bavar.* an tandem *Graev. Ern. Orell. Schütz.*

5) sit: tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum — *sic Graev. Ern. et Schütz. Garat. II. correxit locum, ut est in contextu.*

sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa [1])? Quo quidem tempore, si id, Laterensis, facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, quum minus valuissent suffragiis, quam putassent, postea, prolatis comitiis, prosternerent se, et populo Romano, fracto animo atque humili supplicarent: non dubito, quin omnis ad te conversura fuerit [2]) multitudo. Numquam enim fere [3]) nobilitas, integra praesertim atque innocens, [a] [4]) populo Romano supplex repudiata fuit. Sed, si tibi gravitas tua, et magnitudo animi, pluris fuit, sicut esse debuit, quam aedilitas: noli, quum habeas id, quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris. Equidem primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundo ut existimarer; tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honos: qui iis denique debet esse iucundus, quorum dignitati populus Romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

XXI. Quaeris etiam, Laterensis, quid imaginibus tuis, quid ornatissimo atque optimo viro, patri tuo, respondeas mortuo. Noli ista meditari: atque illud cave potius [5]), ne tua ista querela dolorque nimius ab illis sapientissimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus, Appium Claudium, nobilissimum hominem,

1) praerogata *ante Graev. et praelatum ab Ern. Schütz. et Wolfio.* praerogativa *recte Graev. Garat. Ceterum* comitiis *suspectum erat Graevio, sed Ern. retinuit iure. item Schütz.*

2) conversura se fuerit *Graev. Ern. Schütz.*

3) *omittitur* fere *ab Ern. et Schütz. habet Grut. Graev.*

4) a *sine uncis apud omnes praeter Orell.*

5) potius cave *unus Graev.*

vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive [1]), C. Claudio, aedilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse consulem; vidit, hominem sibi maxime coniunctum, egregium virum, L. Volcatium; vidit, M. Pisonem, in ista aedilitate offensiuncula accepta, summos a populo Romano esse honores adeptos. Avus vero tuus, et P. Nasicae, tibi aediliciam praedicaret repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac re publica fortiorem: et C. Marii, qui duabus aedilitatibus repulsus [2]) septies consul est factus: et L. Caesaris, Cn. Octavii, M. Tullii: quos omnes scimus aedilitate praeteritos, consules esse factos. Sed quid ego aedilicias repulsas colligo? quae saepe eiusmodi habitae sunt, ut iis, qui praeteriti essent, benigne a populo factum videretur. Tribunus militum, L. Philippus, summa nobilitate et eloquentia, quaestor C. Caelius, clarissimus ac fortissimus adolescens, tribuni plebis P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes, facti non sunt: quos tamen omnes consules factos scimus esse. Quae tibi ultro pater, et maiores tui, non consolandi tui gratia, dicent [3]), neque vero, quo te liberent [3]) aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te suscepta videatur: sed ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur [3]). Nihil est enim, mihi crede,

1) civi *Lamb. ceteri omnes* cive. *Vide de ablativo* civi *Priscianum p.* 766. *Putsch.*

2) aedilitatis acceptis repulsis *Graev. Ern. Schütz. ut est in textu Garat. Orell.*

3) dicerent — liberarent — cohortarentur *Schütz. Ern. Lamb. et Manut. at Graev. e codd, nostram sequitur lectionem. nisi quod retinuit* dicerent. dicent *e cod. Bav. Orell. reposuit.*

Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercule [1]) vere, quod accidit, interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua. XXII. Noli enim existimare, non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae, de qua, ne aliquid iurares, destitisti. Denuntiasti, homo adolescens, quid de summa re publica sentires. Fortius tu quidem, quam nonnulli defuncti honoribus, sed apertius, quam vel ambitionis, vel aetatis tuae ratio postulabat. Quamobrem in dissentiente populo noli putare, nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem autem [2]) et praecaventem numquam certe movebunt.

An [3]) te illa argumenta duxerunt? »Dubitatis [4]), inquit [5]), quin coitio facta sit, quum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?« An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? »At nonnullas punctis paene totidem.« Quippe [6]) quum iam facti prope superioribus comitiis declaratique venissent. Quamquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit. Neque enim umquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. Et ais, prioribus comitiis Anien-

1) mehercules *Graev. Ern. Schütz.*

2) ante *Graev. Ern. Orell. Schütz. sed* autem *Lambin.*

3) at *temere coniecit Orellius.*

4) dubitabitis *Graev. Ern. Schütz.*

5) inquis *Weisk. unus.*

6) *post* quippe *interpungit temere Schütz., ita ut sit absolute sumendum.*

sem a Plotio Pedio [1]), Terentinam a Plancio tibi esse concessam: nunc ab utroque eas avulsas, ne in angustum venirent. Quam convenit, nondum cognita populi voluntate, hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo vos adiuvaremini, fecisse: eosdem, quum iam essent experti, quid valerent, restrictos et tenaces fuisse? Etenim verebantur, credo, angustias, quasi res in contentionem aut in discrimen aliquod posset venire. Sed tamen tu A. [2]) Plotium, virum ornatissimum, in idem crimen vocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus. Nam quod questus es, plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris: indicas, aut eos testes te producere [3]), qui, quia nummos acceperint, te praeterierint: aut, te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse. XXIII. Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, caluit re recenti: nunc in causa refrixit. Neque enim, qui illi nummi fuerint, nec, quae tribus, nec, qui divisor, ostendis [4]). Atque is quidem eductus ad consules, qui tum in crimen vocabatur, se inique a tuis iactatum graviter querebatur. Qui si erat divisor, praesertim eius, quem tu habebas reum, cur abs te reus non est factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?

1) *omittitur* Pedio *a Graev. Ern. Schütz.*

2) an Pl. v. o. in idem crimen vocandum indicas? an dicis eum te — rogatus? *Graev. Ern. Schütz.*

3) adducere *Graev. Garat. Schütz.* producere *autem Ern.*

4) ostendis *Garat. II. sed Ern. Schütz. Graev. Orell.* ostenderis.

Sed neque tu habes haec, neque eis confidis. Alia te ratio, alia cogitatio ad spem huius opprimendi excitavit. Magnae sunt in te opes; late patet gratia; multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae. Multi huic invident; multis etiam pater, optimus vir, nimium retinens equestris iuris et libertatis videtur; multi etiam communes inimici reorum omnium; qui ita semper testimonium de ambitu dicunt, quasi aut moveant animos iudicum suis testimoniis, aut gratum populo Romano sit, aut ab eo facilius ob eam causam, dignitatem [1]), quam volunt, consequantur. Quibuscum me, iudices, pugnantem meo more pristino non videbitis; non quo mihi fas sit quidquam defugere, quod salus Plancii postulet: sed quia neque necesse est, me id persequi voce, quod vos mente videatis; et quod ita de me meriti sunt illi ipsi, quos ego testes video paratos, ut eorum reprehensionem vos vestrae prudentiae assumere, meae modestiae remittere debeatis. Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, iudices, quum huius, quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subiiciendas putetis. Multi amici accusatoris, nonnulli etiam nostri iniqui, multi communes obtrectatores, atque omnium invidi multa finxerunt. Nihil est autem tam volucre, quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Neque ego, si fon-

1) aut eo facilius... dignitatem *Schütz.* aut ab eo facilius ob eam causam, dignitatem *Graev.* aut eo facilius ob eam causam, dignitatem *Ern.*

tem maledicti reperietis, ut [aut] [1]) negligatis, aut dissimuletis, umquam postulabo. Sed, si quid sine capite manabit, aut si quid erit eiusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit: aut ita negligens vobis esse videbitur, ut, unde audierit, oblitus sit; aut ita levem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit: huius illa vox vulgaris, AUDIVI [2]), ne quid reo innocenti noceat, oramus.

XXIV. Sed venio iam ad L. Cassium, familiarem meum, cuius ex oratione ne illum quidem Iuventium tecum expostulavi [3]), quem ille omni et virtute et humanitate ornatus adolescens primum de plebe aedilem curulem factum esse dixit. In quo, Cassi, si ita tibi respondeam, nescisse id populum Romanum, neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino: non, ut opinor, admirere, quum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis, me hic id ex te primum audisse confitear. Et, quoniam tua fuit perelegans ac persubtilis oratio, digna equitis Romani vel studio vel pudore; quoniamque sic ab his es auditus, ut magnus honos et ingenio et humanitati tuae tribueretur: respondebo ad ea, quae dixisti [4]); quae pleraque de ipso me fuerunt; in quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt. Quaesisti, utrum mihi putarem [5]), equi-

1) aut *sine uncis Graev. Ern. Schütz.*

2) auditu *ante Lamb.*

3) expostulabo *Schütz. et Wolf. hanc Pantagathi coniecturam receperunt.*

4) *Orell. hic addendum esse putat* de fine, *quod minime opus est.*

5) putarem mihi *unus Graev.*

tis Romani filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. Ego vero, quamquam illi omnia malo, quam mihi: tamen illi honorum aditus numquam faciliores optavi, quam mihi fuerunt. Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse iam honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putet: haec illi soleo praecipere, (quamquam ad praecepta aetas non est [1])) quae ille a Iove ortus, suis praecipit [2]) filiis:

Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis —

Nostis cetera,

Non te id quod multi invideant —

Quae scripsit gravis ille et ingeniosus poëta, scripsit non [3]) ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret.

Quaeris, quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius. Magis aedilis fieri non potuisset: sed hoc praestaret, quod ei minus invideretur. Etenim honorum gradus summis hominibus et infimis sunt pares, gloriae dispares. XXV. Quis nostrum se dicit M. Curio, quis C. Fabricio, quis C. Duilio [4]) parem? quis Atilio Calatino? quis Cn. et P. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? tamen

1) *additur* gravis *a Graev. Ern. Schütz.* gnati *usque ad Graev.*

2) praecepit *ante Grut.*

3) sunt bonis. Nostis cetera. Non te, id quod multi invideant — Quae scripsit gravis ille et ingeniosus poëta: scripsit, non ut *etc. Graev. Ern.* quae gravis ille et ing. poëta scripsit, non ut *Schütz.* sunt bonis — Nosti cetera. Nonne? — Quae scripsit gravis ille et ingen. poëta, non ut illos *etc. Orell.*

4) P. Duellio *Graev.* C. Duellio *Ern. Schütz.* C. Duilio *Orell.*

eosdem sumus honorum gradus, quos illi, assecuti. Etenim in virtute multi sunt adscensus [1]): ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum praestet. Honorum populi finis est, consulatus: quem magistratum iam octingenti fere consecuti sunt; horum, si diligenter quaeras, vix decimam partem reperias [2]) gloria dignam. Sed nemo umquam sic egit, ut tu: Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui civitatem dominatu regio liberavit? honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius nihilominus quaestor est factus, et tribunus plebis, et aedilis, quam si esset summo loco natus: sed haec, pari loco orti, sunt innumerabiles alii consecuti. Profers triumphos T. Didii et C. Marii, et quaeris, quid simile in Plancio. Quasi vero isti, quos commemoras [3]), propterea magistratus ceperint, quod triumpharant [4]), et non, quia commissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent [5]). Rogas, quae castra viderit: qui et miles in Creta, hoc imperatore [6]), et tribunus in Macedonia militum fuerit, et quaestor tantum ex re

1) *omittitur* sunt *ab Ern. et Schütz. Graev. vero:* est enim in virt. multis adsc.

2) quaeras — reperies *Ern.* quaeres — reperis *Graev.* quaeras — reperias *Schütz. Orell.*

3) propterea magis laude fuerint digni *Ern. at Graev. Schütz. ut est impressum.*

4) triumpharunt *Graev. Ern. Schütz.*

5) et non commissi sint iis magistratus, in quibus re b. g. triumpharent *Orell. legendum esse putat, sed recepit:* et non, qu. c. sunt iis m., re bene g. triumpharint, *quod Garat. iubet scribi;* et n. quia c. sunt iis m., in his re bene g. triumpharint *Schütz. ut est impressum, Graev.*

6) Metello hoc imperatore *Graev. Ern. Schütz.*

militari detraxerit temporis, quantum in me custodiendum transferre maluerit. Quaeris, num disertus? [1]) Immo, id quod secundum est, ne sibi quidem videtur. Num iurisconsultus? Quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui, quum professi fuerint [2]), satisfacere non possunt: non in iis, qui se [3]) afuisse ab istis studiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Ut nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem, si pro fabro, aut pro tectore [4]) emimus, ferre moleste solemus, si eas artes, quas in emendo secuti sumus, forte nesciverit; sin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori praeficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam, esse curamus: sic populus Romanus deligit magistratus, quasi rei publicae villicos; in quibus si qua praeterea est ars, facile patitur; sin minus, virtute eorum et innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus? quotus quisque iuris peritus est, ut eos numeres, qui volunt esse? quod si praeterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis et ornatissimis civibus est futurum?

XXVI. Iubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabit [5]) fuisse. Idem effers Laterensem laudibus. Facile pa-

1) disertus sit. *Graev.*

2) sunt *plures codd. nemo tamen recepit.*

3) *omittitur* se *ab Ern. sed additur a Graev. Schütz. Orell.*

4) textore *Graev. ceteri* tectore.

5) putabis *Graev. Ern.* putabit *Schütz.*

tior, id te agere multis verbis, quod ad iudicium non pertineat: et id te accusantem tamdiu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui non modo confiteor, summa in Laterense ornamenta esse: sed te etiam reprehendo, quod ea non enumeres, alia quaedam inania et levia conquiras. Praeneste fecisse ludos. Quid? alii quaestores nonne fecerunt [1])? Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse. Quis negat? sed ita multa Romae geruntur, ut vix ea, quae fiunt in provinciis, audiantur. Non vereor, ne mihi aliquid, iudices, videar adrogare [2]), si de quaestura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis imperiis arbitror, ut non ita mihi multum gloriae [3]) sit ex quaesturae laude repetendum: sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut gratiorem aut clariorem fuisse. Vere mehercule [4]) hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae, nisi de quaestura mea, loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores in me [5]) inauditi. Itaque hac spe decedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem.

1) non *coniecit Ern. quem secuti sunt Garat. Orell. Schütz.* nonne *Graev.*

2) arrogasse *Graev. Ern. Schütz.*

3) *abest* gloriae *ab Graev. Ern. Schütz.*

4) mehercules *Ern. Schütz.*

5) *abest* in me *apud Ern. Schütz. non item apud Graev.*

At ego, quum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem, quum plurimi et lautissimi solent esse in iis locis: concidi paene, iudices, quum ex me quidam quaesisset, quo die Roma exissem, et num quidnam [1]) esset novi. Cui quum respondissem, me e provincia decedere: »etiam mehercule [2]),« inquit, »ut opinor, ex Africa.« XXVII. Huic ego iam stomachans fastidiose, »immo ex Sicilia,« inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: »Quid? tu nescis,« inquit, »hunc Syracusis quaestorem fuisse?« Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent.

Sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit [3]), quam si mihi tum essent omnes congratulati. Nam posteaquam sensi, populo Romano aures hebetiores, oculos autem esse acres atque acutos [4]): destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare; feci, ut postea quotidie me praesentem viderent; habitavi in oculis; pressi forum; neminem a congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum? Nam, quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, quum otiosus sis: has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud, quod

1) numquid in ea *Graev. Ern. Schütz.* quidnam *Orell.*

2) mehercules *Ern. Schütz. non item apud Graev.*

3) pluris mihi fuerit *unus schol. Ambros.*

4) populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere *Ern. et Schütz.* populum Romanum aures h. o. autem acres atque acutos habere *Graev.*

in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi, CLARORUM VIRORUM [1]) ATQUE MAGNORUM, NON MINUS OTII, QUAM NEGOTII, RATIONEM EXSTARE OPORTERE. Ita, si quam habeo laudem, quae, quanta sit, nescio, parta Romae est, quaesita in foro: meaque privata consilia publici quoque casus comprobaverunt, ut etiam summa res publica mihi domi fuerit gerenda, et urbs in urbe servanda. Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam; hoc facilior fortasse, quod ego huc, a me ortus et per me nixus, adscendi: istius egregia virtus adiuvabitur commendatione maiorum. Sed, ut redeam ad Plancium, numquam ex urbe afuit, nisi sorte, lege, necessitate. Non valuit rebus iisdem, quibus fortasse nonnulli. At valuit assiduitate, valuit observandis [2]) amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis; petivit; ea est usus ratione vitae [3]), qua, minima invidia, novi homines plurimi sunt eosdem honores consecuti [4]).

XXVIII. Nam, quod ais, Cassi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis aeque mea salus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor. Sed etiam ii [5]), quibus ego debeo, boni viri, et cives, aediliciis comitiis aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. Verum fac me multis debere,

1) hominum *reposuit Graev. quem sequi quum vellet Schütz., operae non paruerunt.*

2) servandis *Graev.* observandis *Ern. et ceteri.*

3) *abest* vitae *ab Ern. Graev. Schütz.*

4) eosdem honores consecuti sunt *Ern. Graev. Schütz.*

5) hi *Ern. Graev. Schütz.*

et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet, an ceteris, quum cuiusque dies venerit; hoc nomen, quod urget, nunc, quum petitur, dissolvere? Quamquam dissimilis est pecuniae debitio, et gratiae. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit, qui autem debet, aes retinet alienum; gratiam autem, et qui refert, habet: et qui habet, in eo ipso, quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio desinam debere, si hoc solvero: nec minus ei redderem voluntate ipsa, si hoc molestiae non accidisset. Quaeris a me, Cassi, quid pro fratre meo, qui mihi est carissimus, quid pro meis liberis, quibus nihil potest mihi [1]) esse iucundius, amplius, quam quod [2]) pro Plancio facio, facere possim: nec vides, istorum ipsorum caritate ad huius salutem defendendam maxime stimulari me atque excitari. Nam neque illis huius salute, a quo meam sciunt esse defensam, quidquam est optatius: et ego ipse numquam illos adspicio, quin quum per hunc me iis [3]) conservatum esse meminerim, huius meritum [4]) in me recorder.

Opimium damnatum esse commemoras, servatorem ipsum rei publicae; Calidium adiungis [5]), cuius lege Q. Metellus in civitatem sit restitutus; reprehendis

1) *abest* mihi *ab Ern. Graev. Schütz.*

2) *abest* quod *ab Ern. et Schütz, sed ab hac operarum tantum vitio, quum in nota* quod *inseri iubeat, ut est apud Graevium.*

3) his *Graev. Ern. Schütz.*

4) huiusce meriti *Schütz.* huius meriti *Graev.* quum *omittit Ern. et deinde* huius *atque scribit* meriti.

5) O. d. e. commemoras: s. i. r. p. C. adiungis *Graev. interpunxit, ut est in textu, Ern.*

meas pro Plancio preces, quod nec Opimius suo nomine liberatus sit, nec Q. Metelli Calidius. XXIX. De Calidio tibi tantum respondeo, quod ipse vidi: Q. Metellum Pium, consulem, praetoriis comitiis, petente Q. Calidio, populo Romano supplicasse [1]), quum quidem non dubitaret et consul, et homo nobilissimus, patronum illum esse suum, et familiae suae nobilissimae [2]) dicere. Quo loco quaero ex te, num id in iudicio Calidii putes, quod ego in Plancii facio, aut Metellum Pium, si Romae esse potuisset, aut patrem eius, si vixisset, non fuisse facturum. Nam Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria posset evelli! Vulnus illud rei publicae, dedecus huius imperii, turpitudo populi Romani, non iudicium putandum est. Quam enim illi iudices, si iudices, et non parricidae patriae nominandi sunt, graviorem potuerunt rei publicae infligere securim, quam, quum illum e civitate eiecerunt, qui praetor finitimo, consul domestico bello, rem publicam liberarat? At enim nimis ego magnum beneficium Plancii facio, et, ut ais, id verbis exaggero. Quasi vero me tuo arbitratu, et non meo, gratum esse oporteat. Quod istius tantum meritum, inquit? an quia te non iugulavit? immo vero, quia iugulari passus non est. Quo quidem tu loco, Cassi, etiam purgasti inimicos meos, meaeque vitae nullas ab illis insidias fuisse dixisti. Posuit hoc idem Laterensis. Quamobrem de isto paullo post plura dicam: de te tantum requiro,

1) *operarum vitio Orellius* supplicasset.

2) illum esse suum et familiae suae dicere *Ern. Schütz.* illum et suum et f. suae dicere *Orell. ut est in textu, Graev.*

utrum putes odium in me mediocre inimicorum fuisse? quod fuit ullorum umquam barbarorum tam immane ac tam crudele in hostem? an fuisse in iis aliquem aut famae metum, aut poenae, quorum vidisti toto illo anno ferrum in foro, flammam in delubris, vim in tota urbe versari? Nisi forte existimas, eos iccirco vitae meae pepercisse, quod de reditu meo nihil [1]) timerent. Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui, vivis his, stante urbe et curia, rediturum me, si viverem, non putaret? Quamobrem non debes [2]) is homo, et is civis, praedicare, vitam meam, quae fidelitate amicorum conservata sit, inimicorum modestia non esse appetitam.

XXX. Respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus: sed profecto nec considerate minus, nec minus amice. Nam primum illud fuit asperius, me, quae de Plancio dicerem, mentiri, et temporis causa fingere. Scilicet homo sapiens excogitavi, quamobrem viderer maximis beneficii vinculis obstrictus, quum liber essem et solutus. Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multae, parum iustae necessitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiae? quae si non essent, vererer, credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem. Fingenda fuit mihi videlicet causa peracuta [3]), ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent

1) non *Graev. Ern. Schütz.* 2) debet *Graev. Ern. Schütz.* *Paullo ante* timerent, et quemquam *Ern. Orell.*

3) peracute *Ern.* perastute *Schütz.* peracuta *Graev.*

civicam, et se ab aliquo servatos esse fateantur: non quo turpe sit, protectum in acie, ex [1]) hostium manibus eripi, (nam id accidere, nisi forti viro, et pugnanti cominus, non potest), sed onus beneficii reformidant, quod permagnum est, alieno debere idem, quod parenti. Ego, quum ceteri vera beneficia, etiam minora, dissimulent, ne obligati esse videantur: eo me beneficio obstrictum esse ementior [2]), cui ne referri quidem gratia posse videatur? An hoc tu, Laterensis, ignoras? qui, quum mihi esses amicissimus, quum vel periculum vitae tuae mecum sociare voluisses, quum me in illo tristi et acerbo luctu, atque discessu, non lacrymis solum tuis, sed animo, corpore, copiis prosecutus esses, quum meos liberos, et uxorem, me absente, tuis opibus, auxilioque defendisses, sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Plancii honore [3]) consumerem, quod eius in me meritum tibi etiam ipsi [4]) gratum esse dicebas. Nihil autem me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam testis [5]) est oratio, quae est a me prima habita in senatu? in qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri, statuissemque eos solum nominare, qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent: in his Plancio

1) *abest* ex *a Graev. Ern. Schütz. non item ab Orelliana.*

2) ementiar *Schütz. Graev. Ern.*

3) honorem *Graev. Ern. Schütz. Orell. sed* honore *Bav. habet.*

4) *abest* ipsi *ab Ern. Schütz. non item ab Orell. et Graevio.*

5) etiam illa testis *Ern. Graev. Schütz. Orell. sed damnat* illa *Garat. II.*

gratias egi Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est: in qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem, et huius tanti officii servitutem adstringebam testimonio sempiterno. Nolo cetera, quae a me mandata sunt literis, recitare: praetermitto, ne aut proferre videar ad tempus [1]), aut eo genere uti literarum, quod meis studiis aptius, quam consuetudini iudiciorum, esse videatur.

XXXI. Atque etiam clamitas, Laterensis: *Quousque ista dicis? nihil in Cispio profecisti, obsoletae* [2]) *iam sunt preces tuae.* De Cispio mihine tu obiicies [3]), quem ego, de me bene meritum, quia, te teste, cognoveram, te eodem auctore defendi? et ei dices, *Quousque,* quem negas, quod pro Cispio contenderit, impetrare potuisse? Nam istius verbi, *Quousque,* haec poterat esse invidia: datus est tibi ille; condonatus ille; non facis finem; ferre non possumus. Ei quidem, qui pro uno laborarit, et ipsum id [4]) non obtinuerit, dici, *Quousque,* irridentis magis est, quam reprehendentis. Nisi forte ego unus ita me gessi in iudiciis, ita et cum his et inter hos vixi, is in causis patronus, is in re publica civis et sum et semper fui, solus ut a te constituar, qui nihil a iudicibus debeam umquam impetrare. Et mihi lacrymulam Cispiani iudicii obiectas. Sic enim dixisti: *Vidi ego tuam lacrymulam.* Vide, quam me verbi tui poeniteat. Non

1) ante tempus *Schütz. legi iubet in nota.*

2) absolutae *Graev. Ern. recepit* obsoletae *eumque sequuntur Schützius et Orellius.*

3) mihi igitur tu obiicies *cod. Bav.*

4) id ipsum *Schütz.* ipsum id *Graev. Ern. Orell.*

modo lacrymulam, sed multas lacrymas, et fletum cum singultu videre potuisti. An ego, qui meorum lacrymis, me absente, commotus, simultates, quas mecum habebat, deposuisset, meaeque salutis non modo non oppugnator (ut inimici mei putarant) sed etiam defensor fuisset, huius in periculo non dolorem meum significarem? Tu autem, Laterensis, qui tum lacrymas meas gratas esse dicebas, nunc easdem vis invidiosas videri.

XXXII. Negas, tribunatum Plancii quidquam attulisse adiumenti dignitati meae. Atque hoc loco (quod verissime facere potes) L. Racilii, fortissimi et constantissimi viri, divina in me merita commemoras. Cui quidem ego, sicut Cn. [1]) Plancio, numquam dissimulavi me plurimum debere, semperque prae me feram. Nullas enim sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitae dimicationes, nec pro re publica, nec pro me defugiendas putavit. Atque utinam, quam ego sum in illum gratus, tam licuisset, per hominum vim, et iniuriam, populo Romano ei gratiam referre [2])! Sed, si non eadem contendit in tribunatu Plancius: existimare debes, non huic voluntatem defuisse, sed me, quum tantum iam Plancio deberem, Racilii beneficiis fuisse contentum. An vero putas, iudices iccirco minus mea causa facturos, quod me esse gratum crimineris? An, quum Patres [3]) illo senatusconsulto, quod in monumento Marii factum est, quo mea

1) in *Graev. Ern. Schütz.* Cn. *Orell.*

2) et iniuriam populi Romani gratiam referri *Ern.* *Graev. vero:* populi Romani ei gratiam referri. *Schütz.* et iniuriam ei gratiam referri. *Orell.* et iniuriam, populo Romano ei gratiam referre.

3) populus Romanus *Graev. Ern. Schütz.* Patres *Orell.*

salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerint [1]), (unus enim fuit de magistratibus, aut promagistratibus [2]) defensor salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putavit,) ei ego a me referendam gratiam non putem? Atqui, haec quum vides [3]), quo me tandem in te animo [4]) putas esse, Laterensis? ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate defugerem? Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser, (nam hoc quidem abhorret a virtute verbum,) sed certe exercitus, non quia multis debeo, (leve enim est [5]) onus, beneficii gratia,) sed quia saepe concurrunt [6]), propter aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnes verear ne vix possim gratus videri.

Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cuiusque intersit, et quid a me cuiusque tempus poscat. XXXIII. Agitur studium tuum, vel etiam, si vis, existimatio, laus aedilitatis [7]): at Cn. Plancii salus, patria, fortunae. Salvum tu me esse cupisti: hic fecit etiam, ut esse possem. Distineor tamen et divellor dolore, et in causa

1) egerit *Graev. Ern. Schütz.*

2) *abest* aut promagistratibus *ab Ern. et Schütz. non item a Graev.*

3) haec quum vides *Ern. Schütz. Orell.* eum quum vides *Graev.*

4) animo in te *Ern. Graev. Schütz.* in te animo *Orell.*

5) *omittitur* est *ab Ern. Graev. Schütz.*

6) concurrit propter aliquorum de me meritorum inter ipsos contentiones *Graev. Ern. Schütz.*

7) laus, aedilitas *Graev. Ern. Schütz.* aedilitatis *Orell.*

dispari offendi te a me, doleo: sed, medius fidius, multo citius meam salutem pro te abiecero, quam Cn. Plancii salutem tradidero contentioni tuae. Etenim, iudices, quum omnibus virtutibus me affectum esse cupio, tum [1]) nihil est, quod malim, quam me et gratum esse, et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus, et memori mente persolvunt? Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? quae porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ipse mutus ille [2]), ubi altus [3]) aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cuius opes tantae esse possunt [4]), aut umquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe, sublata memoria et gratia, nulla [5]) exstare possunt. Equidem nihil [6]) tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam benivolentiae significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut bene-

1) cupiam, tamen *Graev. Ern. Schütz.*
2) ille mutus ipse *Ern. Schütz.* ipse ille mutus *Graev.*
3) alitus *Graev.* altus *Ern. Schütz. Orell.*
4) *Schütz. praeoptat* tantae sunt.
5) nullae *Graev. Ern. Schütz.*
6) nil *Ern. Schütz.* nihil *Orell. Graev.*

ficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quae quum ita sint, iam succumbam, Laterensis, isti tuo crimini, meque in eo ipso [1]), in quo nihil potest esse nimium, quoniam ita tu vis, nimium gratum esse concedam: petamque a vobis, iudices, ut eum beneficio complectamini, quem qui reprehendit, in eo reprehendit, quod gratum praeter modum dicat esse. Neque enim illud [2]) ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit idem, vos nec nocentes, nec litigiosos esse, quo minus me apud vos valere oporteret. Quasi vero in amicitia mea non haec praesidia (si quae [3]) forte sunt in me) parata semper amicis esse maluerim, quam necessaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quam praesidio fuisse: meque vehementer vitae meae poeniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini, nisi litigioso, aut nocenti.

XXXIV. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti, te iccirco in ludos causam coniicere noluisse, ne ego, mea consuetudine, aliquid de thensis misericordiae causa dicerem; quod in aliis aedilibus ante fecissem. Nonnihil egisti hoc loco. Nam mihi eripuisti ornamentum orationis meae. Deridebor, si mentionem thensarum fecero, quum tu id praedixeris. Sine thensis autem quid potero dicere? Hic etiam addidisti, me iccirco

1) tuae orationi; in eo ipso *Ern. Schütz. Graev. ut excusum est. Post* nimium *inseritur* me *in Ern. ed. non item in Graev. et Schütz.*

2) *omittitur* illud *ab Ern. Schütz. retinetur a Graev.*

3) qua *Ern. Schütz.* quae *Graev.*

mea lege exsilio ambitum sanxisse [1]), ut miserabiliores epilogos possem dicere. Non vobis videtur [2]) cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori discipulo disputare? Rhodi enim, inquit, ego [3]) non fui. Me vult fuisse: sed fui, inquit, (putabam [4]) in Vaccaeis dicturum) bis in Bithynia. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam, nescio cur severiorem Nicaeam putes, quam Rhodum: si spectanda causa est, et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti, et ego Rhodi non minore. Nam, quod in eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderim: utinam et tu, qui potes, et ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc levare! Sed fit vestra diligentia, qui [in] [5]) causis ponderandis omnes fere repudiatis, ut ad nos pleraeque confluant, qui miseris et laborantibus nihil negare possumus. Admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod [6]) in petitionem tuam dici potuisse: me id perdidisse. Uter igitur nostrum est cupidior dicti? egone, qui, quod dici potuit, non dixerim: an tu, qui etiam ipse in te dixeris? Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent. Quas ego mihi obfuisse non intelligo: rei publicae video prodesse potuisse.

1) meam istam legem de ambitu tulisse *Schütz.* mea lege ex isto ambitu traxisse *Graev. Ern.*

2) videor *Graev. Ern. Schütz.*

3) *abest* ego *a Graev. Ern. Schütz.*

4) Nicaeae *omisit Graev. retinuerunt Ern. Schütz. Orell. Ern. uncis inclusit* bis in Bithynia.

5) in *sine uncinis Graev. Ern. Schütz. inclusit Orell.*

6) aliquid *Ern. et Schütz. omissa voce* dictum; *sed* dictum aliquod *Graev.*

XXXV. Sed sunt haec leviora: illa vero gravia [1]) atque magna, quod meum discessum, quem saepe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccusare voluisti. Dixisti enim, non auxilium mihi, sed me auxilio defuisse. Ego vero fateor, me [2]), quod viderim mihi auxilium non deesse, iccirco illi auxilio [3]) pepercisse. Qui enim status, quod discrimen, quae fuerit in re publica tempestas illa, quis nescit? Tribunicius me terror, an consularis furor movit? Decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florentes atque integros sine ferro viceram? Consules post hominum memoriam teterrimi atque turpissimi, sicut et illa principia, et hi recentes rerum exitus declararunt, quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit, emptis provinciis, a senatu, a re publica, a bonis omnibus defecerant. Qui [4]) exercitibus, qui armis, qui opibus plurimum poterant, quum, quid sentirent, nesciretur, furialis illa vox nefariis stupris, religiosis altaribus effeminata, secum et illos consules [5]) facere, acerbissime [6]) personabat. Egentes in locupletes, perditi in bonos, servi in dominos armabantur. Aderat mecum senatus, et quidem veste mutata: quod pro me uno post hominum memoriam publico consilio susceptum est. Sed recordare, qui tum fuerint consulum nomine hostes; qui soli in hac urbe senatum senatui

1) graviora *Graev. Ern. Schütz.*
2) mehercule *Graev. Ern. Schütz.*
3) iccirco me illi auxilio *Graev. Ern. Schütz.*
4) defecerant: qui *ceteri omnes, etiam Orell.*
5) et illos et coss. *Graev. Ern. Schütz. Orell.*
6) acerrime *Lamb. Schütz.*

parere non siverint [1]), edictoque suo non luctum patribus conscriptis, sed luctus indicia ademerint [2]). Aderat mecum cunctus equester ordo: quem quidem in concionibus saltator ille Catilinae consul [3]), proscriptionis denuntiatione terrebat. Tota [4]) Italia convenerat: cui quidem belli intestini et vastitatis metus inferebatur.

XXXVI. Hisce ego auxiliis studentibus atque incitatis uti me, Laterensis, potuisse confiteor; sed erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum; nam profecto, praesertim tam bona in causa, numquam, quo ceteri saepe abundarunt, id mihi ipsi auxilium meum defuisset; armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum; quibus a servis atque a servorum ducibus caedem fieri senatus et bonorum, rei publicae exitiosum fuisset. Vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem eum vincendi viderem: [quem profecto non videbam.] [5]) Ubi enim praesto fuisset mihi aut tam fortis consul [6]), quam L. Opimius? quam C. Marius? quam L. Flaccus? quibus ducibus improbos cives res publica vicit armatis: aut, si minus fortes, attamen tam iusti, quam P. Mucius, qui arma, quae privatus P. Scipio sumpserat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus, nihil amplius dico,

1) siverunt *Ern. Schütz.* siverint *Graev.*

2) ademerunt *Ern. Schütz.* indicia l. ademerint *Graev.*

3) *omittitur* Catilinae *a Schütz. uncis includitur ab Ern.*

4) At tota *Graev. Ern. Schütz.*

5) quem — videbam *sine uncis apud Graev. Ern. Schütz.*

6) fuissent — fortes consules *scriptura valde probabilis, quum sequatur:* aut, si minus fortes.

nisi illud, victoriae nostrae graves adversarios paratos, interitus nullos ultores esse videbam. Hisce ego auxiliis salutis meae si iccirco defui, quia nolui dimicare: fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse. Sin autem, quo maiora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putavi: tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est, hodieque est, et semper erit maximae gloriae? quem, ut potes ex multis audire, qui tum affuerunt, constat, invitissimis viris bonis, cessisse: nec fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse. Ergo ille quum suum, non quum senatus factum defenderet, quum perseverantiam sententiae suae, non salutem rei publicae retinuisset: tamen ob illam, quod [1]) illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloria et [2]) laude superavit, quod et illos ipsos improbissimos cives interfici noluit, et, ne quis bonus interiret in eadem caede, providit: ego, tantis periculis propositis, quum, si victus essem, interitus rei publicae, si vicissem, infinita dimicatio pararetur, committerem, ut idem perditor rei publicae nominarer, qui servator fuissem?

XXXVII. Mortem me timuisse dicis. Ego vero ne immortalitatem quidem contra rem publicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie rei publicae vellem. Nam, qui pro re publica vitam ediderunt, (licet me desipere dicatis,) numquam mehercule eos mor-

1) tamen, quod illud *Schütz. Ern.* tamen, quum illud *Orell.* *ut est in textu*, *Graev.*

2) gloriae laude *Ern. Graev. Schütz.*

tem potius, quam immortalitatem assecutos putavi. Ego vero, si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum res publica civile praesidium salutis suae perdidisset. Quin etiam, si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset: tamen auxilia posteritatis essent imminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me retinendo [1]) fuisset senatus populusque Romanus. An, si umquam in me vitae cupiditas fuisset, ego mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commossem? quae, si viginti quiessem dies, in aliorum vigiliam [2]) consulum recidissent. Quamobrem, si vitae cupiditas contra rem publicam est turpis, certe multo mortis cupiditas mea turpior fuisset cum pernicie civitatis.

Nam quod te in re publica liberum esse gloriatus es, id ego et fateor et laetor, et tibi etiam in hoc gratulor: quod me autem negasti, in eo neque te, neque quemquam diutius patiar errare. XXXVIII. Nam, si quis iccirco aliquid de libertate mea deminutum putat, quod non ab omnibus eisdem, a quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam: primum, si bene de me meritis gratum me praebeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati; sin autem, sine ullo rei publicae detrimento, respicio etiam aliquando salutem tum meam, tum meorum; certe non modo non sum reprehendendus, sed etiam, si ruere vellem, boni viri me, ut id ne facerem, rogarent. Res vero ipsa publica, si loqui posset, ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper, numquam mihi, fructus

1) restituendo *Garat. legi iubet.* 2) iugulum *Graev. Ern. Schütz.*

autem ex sese non, ut oportuisset, laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos, tulissem, ut iam mihi servirem, consulerem meis: se non modo satis habere a me, sed etiam vereri, ne parum mihi pro eo, quod tum a me haberet, reddidisset. Quid, si horum ego nihil cogito, et idem sum in re publica, qui fui semper? tamenne libertatem [1]) requires meam? quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus, depugnemus. Quod est longe secus. Stare enim omnes debemus, tamquam in orbe aliquo rei publicae, qui quoniam versatur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque converterit.

XXXIX. Ego autem Cn. Pompeium, non dico auctorem, ducem, defensorem salutis meae, (nam haec privatim fortasse officiorum memoriam quaerunt, et gratiam [2]),) sed dico hoc, quod ad salutem rei publicae pertinet: ego eum non tuear, quem omnes in re publica principem esse concedunt? ego C. Caesaris laudibus desim, quas primum populi Romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurimis atque amplissimis iudiciis videam esse celebratas? Tum hercule me confitear, non iudicium aliquod habuisse de rei publicae utilitate, sed hominibus amicum aut inimicum fuisse. An, quum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi, salute praesertim proposita, obtemperem et

1) tamenne tu libertatem *Graev. Ern. Schütz.*

2) memoriam et gratiam quaerunt *Graev. Ern. Schütz.*

pareat? [1]) Ego vero haec didici, haec vidi, haec scripta legi; haec de sapientissimis et clarissimis vitis, et in hac re publica, et in aliis civitatibus monumenta nobis literae [2]) prodiderunt: non semper easdem sententias ab iisdem, sed, quascumque rei publicae status, inclinatio temporum, ratio concordiae postularet, esse defensas [3]). Quod ego et facio, Laterensis, et semper faciam: libertatemque, quam tu [4]) in me requiris, quam ego neque dimisi umquam, neque dimittam, non in pertinacia, sed in quadam moderatione positam putabo.

XL. Nunc venio ad illud extremum, quod dixisti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca, lapidemque e sepulchro venerari pro deo. Neque enim mihi insidiarum periculum ullum, neque mortis fuisse. Cuius ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus. Nihil enim ex meis est temporibus, quod minus pervagatum, quodque minus aut mea commemoratione celebratum sit, aut hominibus auditum atque notum. Ego enim, Laterensis, ex illo incendio legum, iuris, senatus, bonorum omnium, cedens, quum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiae toti minaretur, nisi quievissem: Siciliam petivi animo, quae et ipsa erat mihi, sicut domus una, coniuncta, et obtinebatur a C. Virgilio; quocum me uno vel maxime quum vetustas, tum amicitia, quum mei fratris collegia, tum rei publicae causa sociarat [5]).

1) *intruditur:* Neque enim inconstantis puto, sententiam, tamquam aliquod navigium atque cursum, ex rei publicae tempestate moderari. *apud Graev. Ern. Schütz.*

2) nobis, literae, prodiderunt *Ern. et Schütz. sic distinxerunt.*

3) defendendas *Graev. Ern. Schütz.*

4) *abest* tu *ab Ern. Graev. Schütz.*

5) quum vetusta amicitia, tum mei fratris collegia, tum res pu-

Vide nunc caliginem temporum illorum. Quum ipsa paene insula mihi sese obviam ferre vellet: praetor ille, eiusdem tribuni plebis concionibus, propter eandem rei publicae causam, saepe vexatus, nihil amplius dico, nisi: me in Siciliam venire noluit. Quid dicam? C. Virgilio, tali civi et viro, benivolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? Nihil, iudices, est eorum: sed, quam tempestatem nos vobiscum non tulissemus, metuit, ut eam ipse posset opibus suis sustinere. Tum, consilio repente mutato, iter [1]) a Vibone Brundisium terra petere contendi. Nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo.

XLI. Quum omnia illa municipia, quae sunt a Vibone Brundisium, in fide mea, iudices, essent: iter mihi tutum, multis minitantibus, magno cum suo metu praestiterunt. Brundisium veni, vel potius ad moenia accessi. Urbem unam mihi amicissimam declinavi, quae se vel potius [2]) exscindi, quam, e suo complexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Laenii Flacci contuli, cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, haec perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere. Huius ego, et parentis eius, prudentissimi atque optimi senis, et fratris et utriusque [3]) filiorum manibus, in navi tuta ac fideli collocatus, eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. Quo quum venissem, cogno-

blica sociarat *Graev. Ern. Schütz. nisi quod Graev. scribit* tum vetusta amicitia.

1) *omittitur* iter *a Schütz. auctore Ern.*

2) *omittit* potius *atque scribit* facilius *Schütz.*

3) senis et utriusque filii manibus *Ern.* senis et fratris utriusque filiorum *Schütz. ut est in textu, Graev. Orell.*

vi, id quod audieram, refertam esse Graeciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum: quorum impium ferrum ignesque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat: qui antequam de meo adventu audire potuissent, quum tamen [1]) abessent aliquot [2]) dierum viam, in Macedoniam, ad Planciumque perrexi. Hic vero simul atque me mare transisse cognovit: (audi, audi, atque attende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam, confiteareque aliquando, me, quod faciam, et grate, et pie facere: huic, quae pro salute mea fecerit, si minus profutura sint, obesse certe non oportere.) Nam, simulac me Dyrrhachium attigisse audivit: statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata, profectus est. O acerbam mihi, iudices, memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est, conspersitque lacrymis, nec loqui prae maerore potuit! o rem tum auditu crudelem, tum visu nefariam! o reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iste a me non recedens, Thessalonicam me, in quaestoriumque perduxit! Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius, nisi, eum et civem optimum semper, et mihi amicum fuisse: sed eadem timuisse, quae ceteros. Cn. Plancium fuisse unum, non, qui minus timeret, sed, si acciderent ea, quae timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet. Qui, quum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia venisset, easque insidias, quas mihi paratas ab exsulibus coniuratis audierat, animo amicissimo detulisset: in Asiam me ire (propter eius provinciae mecum et cum meo fra-

1) tantum *Graev. Ern. Schütz.*
2) aliquorum *Ern. Schütz.* aliquot *Graev.*

tre necessitudinem) comparantem, non est passus: vi me, inquam, Plancius, et complexu suo retinuit, multosque menses a capite meo non discessit, abiecta quaestoria persona, comitisque sumpta.

XLII. O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! si quidem ego tibi vivus non prosum, qui fortasse mortuus profuissem. Memini enim, memini, neque umquam obliviscar noctis illius, quum tibi vigilanti, assidenti, maerenti, vana quaedam miser, atque inania, falsa spe inductus, pollicebar; me, si essem in patriam restitutus, praesentem, tibi gratiam [1]) relaturum; sin autem vitam mihi fors [2]) ademisset, aut vis aliqua maior reditum peremisset: hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? Nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed de horum erga me benivolentia promittebam; hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitae periculo velle videbam; de horum [3]) desiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum simul audiebam; nunc timeo, ne nihil tibi, praeter lacrymas, queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. Quid enim possum aliud, nisi maerere? nisi flere? nisi te cum salute mea [4]) complecti? Salutem tibi iidem dare possunt, qui mihi reddiderunt. Te tamen, exsurge quaeso, retinebo et complectar: nec me solum deprecatorem fortunarum

1) gratias *Graev. unus.* 2) sors *Graev. Ern. Schütz.*
3) eorum *Graev. Ern. Schütz.*
4) *omittitur* cum salute mea *a Schützio uno.*

tuarum, sed comitem sociumque profitebor: atque (ut spero) nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor, non dicam meorum in bonos meritorum, sed bonorum in me, qui a me mei servatorem capitis divellat, ac distrahat. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, iudices, sed custodem salutis meae; non opibus contendo, non auctoritate, non gratia; sed precibus, sed lacrymis, sed misericordia; mecumque vos simul hic miserrimus, et optimus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur. Nolite, iudices, per vos, fortunas, per liberos vestros [1]), inimicis meis, iis [2]) praesertim, quos ego pro vestra salute suscepi, dare laetitiam, gloriantibus vos iam oblitos mei, salutis [3]) eius, a quo mea salus conservata est, hostes exstitisse. Nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatae vestrae voluntatis erga me: sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere. Teque, C. Flave [4]), oro et obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum, quas gessi, adiutor fuisti, meque non modo salvum semper, sed etiam ornatum, florentemque esse voluisti: ut mihi per hos conserves eum, per quem me tibi et his conservatum vides. Plura ne dicam, tuae me etiam lacrymae impediunt, vestraeque, iudices, non solum meae: quibus ego, magno in metu meo, subito inducor in spem, vos eosdem in hoc conservando futuros, qui fueritis in me: quoniam istis vestris lacrymis de illis recordor, quas pro me saepe et multum profudistis.

1) per vos, per fortunas vestras, per liberos vestros *Ern. Schütz.* per vos, per fortunas, per liberos vestros *Graev.*
2) his *Graev. Ern. Schütz.* 3) salutisque *Graev. Ern. Schütz.*
4) Flavi *Graev. Ern. Schütz.*

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO
T. ANNIO MILONE.

ORATIO

PRO

T. ANNIO MILONE.

SUMMARIUM.

P. Clodius Pulcher post tribunatum plebis A. V. 693. aedilitatem autem A. 697. gestam A. V. 700. praeturam petere constituerat. Quum autem comitia consularia et praetoria anno superiore i. e. 699. ita tracta videret, ut non multos menses praeturam gerere posset, quippe quum etiam consules anno 700. creati Cn. Domitius Calvinus, M. Valerius Messala septimo demum h. a. mense magistratum post plura interregna adirent, distulit petitionem praeturae, eamque in A. 701. transtulit. In eundem annum consulatum petebant T. Annius Milo, (qui dudum graves cum Clodio inimicitias gesserat, ita ut alter alteri saepe mortem minatus esset) P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio.

A. d. XIII. Kalendas Februarias, quum Milo Lanuvium, ubi dictator erat, proficisceretur ad flaminem ibi prodendum, accidit ut Clodius Aricia rediens in via Appia ei occurreret. Ibi pugna inter utriusque servos commissa compluribus vel occisis vel vulneratis, tandem ipse Clodius occiditur. Corpus eius statim Romam delatum, ac primum in atrio domus eius expositum, deinde in forum delatum est; unde duce Sex. Clodio a plebe in curiam translatum est, ubi illud collectis subselliis, mensis, aliaque eius modi supellectile cremaverunt, quo igne et curia et Porcia basilica ei iuncta incensa conflagravit. Qua

re magna invidia Clodianis contracta, Milo, qui interim secesserat, in urbem rediit, et in petendo consulatu perseveravit. Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Mart. consul creatus est, quem consulatum primis mensibus solus gessit, deinde Q. Metellum Scipionem, cuius filiam Corneliam uxorem duxerat, in quinque ultimos menses collegam sibi adiunxit. Consulatum igitur V. Kal. Mart. mense intercalario aggressus statim leges tulit, alteram de vi, in qua simul ut de caede in via Appia, de incendio curiae, et de domo M. Lepidi interregis oppugnata extra ordinem quaereretur, sancitum est; alteram de ambitu, qua gravior poena et breviora iudicia constituta sunt. In lege de vi novam etiam iudicii habendi rationem praescripserat, ut primo quaesitor non esset praetor, sed suffragiis populi e consularibus electus; deinde tribus diebus testes audirentur; deinde uno eodemque die ab accusatore et reo peroraretur. Itaque creatus est quaesitor Cn. Domitius Ahenobarbus. Is quum Pompeius trecentos ex omnibus ordinibus iudices proposuisset, LXXXI ex iis sortitus est. Ex his quum et accusator et reus quinos ex singulis ordinibus reiecissent, relicti sunt LI, nempe XVIII senatores, XVII equites, XVI tribuni aerarii. Itaque pridie testibus auditis a. d. VI. Id. Apriles iudicium habitum est, clausis tota urbe tabernis, praesidiis in foro et circum omnes fori aditus a Pompeio consule dispositis. Accusarunt Milonem Appius maior C. Clodii, Publii fratris, filius, M. Antonius, P. Valerius Nepos. Defendit reum Cicero, sed partim acclamatione Clodianorum, partim ipso militum conspectu turbatus, non ea, qua solebat, constantia dixit. Attamen illa quoque oratio, a notariis excepta, Asconii aetate superstes fuit. Eius etiam Quintilianus IV. 4, 17. mentionem facit. Hanc vero, quam habemus, pro Milone orationem postea scripsit; eamque ad Milonem, qui exsul Massiliam concesserat, misit, qui ut narrat Dio Cassius lib. XL. ei rescripsit bene secum actum esse, quod Cicero non hanc in iudicio habuisset. Nunquam enim futurum fuisse, ut tantos tamque bonos mullos Massiliae comederet, si hoc modo pro se dictum esset.

Exordium huius orationis capitur ab insolita iudicii forma, quod Pompeius forum praesidiis militum circumdederat. Ea quamquam oratorem terrere possit, magnum tamen esse solatium, quod Pompeius pro sua iustitia et sapientia illos centuriones et cohortes non periculi sed praesidii causa collocaverit, qui defensioni suae non auxilium modo, verum etiam silentium polliceantur. Reliquam civium multitudinem totam causae suae favere. Unum genus infestum esse eorum quos P. Clodii furor rapinis et incendiis paverit. c. 1. Itaque iudices cohortatur, ut timorem, si quem habeant, deponant, ostenditque se in Milonis defensione non eius tribunatu, et rebus pro salute rei publicae gestis abusurum, sed potius id effecturum, ut oculis videant insidias Miloni a Clodio factas, ideoque eum iure occisum esse. c. 2.

Sequitur refutatio eorum quae adversarii dixerant.

Primo negaverant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. Id Cicero primum exemplis eorum, qui absoluti sint post iustam hominis caedem, deinde iure naturali, denique ipsa lege XII tabularum refutat. c. 3. 4.

Secundo loco dixerant, caedem in qua P. Clodius occisus sit, senatum iudicasse contra rem publicam esse factam. In quo ostenditur senatum illam caedem non sententiis suis solum sed etiam studiis comprobasse; nec novam de ea quaestionem instituisse, sed decrevisse, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem quaereretur. Ac si incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rem publicam factam decreverit, hoc eo factum esse, quod nulla vis unquam in libera civitate suscepta inter cives non sit contra rem publicam. c. 5.

Denique dixerant adversarii Pompeium rogatione sua et de re et de causa iudicavisse, quod tulerit de caede, quae in via Appia facta esset, in qua P. Clodius occisus erat. Cui Cicero sic respondet, ut ostendat, Pompeium vidisse, etiam in confessione facti iuris tamen defensionem suscipi posse. Fuisse olim nobilissimos aliquot viros necatos, de quibus quaestio extra ordinem lata non sit. Neque vero ideo mor-

tem P. Clodii atrociorem esse, quod is in via Appia, hoc est in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Ab ipso enim M. Papirium in eadem via occisum esse; eiusdemque Clodii servum in templo Castoris comprehensum esse, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarit. Ne de hoc quidem facinore rogationem latam, aut quaestionem decretam esse. Itaque Pompeium non facti, sed iuris disceptationem esse voluisse; delectos esse iudices ex florentissimis ordinibus viros intimos et integerrimos, in L. Domitio autem, quem quaestioni praeesse voluerit, nihil aliud spectasse, nisi quaesitoris iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Reliquum igitur esse, ut iudices nihil aliud quaerere debeant, nisi uter utri insidias fecerit. c. 6—8.

Sequitur igitur narratio rei gestae, prudenter sic instituta, ut appareat, Clodium insidias fecisse Miloni, eiusque servos, quum Milo ante fundum eius ei occurrisset, in hunc impetum fecisse, atque ita Clodium a servis Milonis, qui eum occisum esse ex ipso Clodio audissent, neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, interfectum esse. c. 9—11.

Tum accedit orator ad confirmationem, in qua primum demonstratur Clodium, quia Miloni insidias fecerit, caesum esse.

Hic primum ostendit Clodium magnis emolumentis ad interficiendum Milonem ductum esse, Miloni Clodii mortem non modo nihil profuisse, sed etiam obfuisse. Deinde odium Clodii erga Milonem maius, quam huius in illum fuisse. c. 12. 13. Tum demonstratur, Milonis innocentiam eius consuetudine et natura defendi, Clodii culpam his iisdem rebus coargui. Etenim Clodii consuetudinem perpetuam fuisse in vi inferenda, Milonis tantum in repellenda. Praeterea ex ipsa causa profectionis intelligi non Clodio a Milone, sed Miloni a Clodio insidias esse paratas. c. 14—19. Quod confirmatur primum loco insidiarum, c. 20. deinde iter Clodii, ut expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparatur, ut illum multo ad caedem paratiorem fuisse appareat. c. 21. Neque vero mirum esse Clodium sic paratum, tamen ab im-

paratis servis Milonis occisum esse. Neque vero Milonem ideo in suspicionem venire, quod illos servos manumiserit. Quaestionem vero de servis Clodii in Milonem habitam nihil probare. c. 22. Denique ipsum reditum Milonis eiusmodi fuisse ostenditur, ut ex eo eluceat eum pura mente atque integra, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam revertisse. c. 23. Multa etiam postea in Milonem congesta esse, quae ille innocentiae conscientia fretus plane contempserit ac pro nihilo putarit. c. 24—26.

Crimine igitur ipso caedis a Milone Clodio illatae his argumentis diluto, Cicero ostendit si Milo Clodium occidisset, eum propterea praemio potius quam poena afficiendum fuisse. Itaque Milo sic loquens inducitur, ut immania Clodii flagitia et facinora enumeret. c. 27. ideoque magnam populi Romani ex Clodii caede laetitiam esse consecutam demonstratur; c. 28. eamque caedem in beneficii loco ponendam esse partim Graecorum exemplo, qui saepe tyrannos necaverint, eorumque interfectoribus magnos honores tribuerint, c. 29. 30. partim deorum immortalium nutu et voluntate confirmatur, quibus huius beneficii gratia potissimum debeatur. c. 31—33.

In peroratione iudices implorantur, ut misericordiam tribuant fortissimo viro, quam propter innocentiam et dignitatem nec ipse imploret, nec a defensore suo implorari velit. c. 34—38.

Ceterum cum hac oratione et Asconii argumentum et Dionis Cassii lib. XL. narratio comparanda est, ex quibus hoc certe intelligitur, etiamsi Clodii caedes et iustissima, et rei publicae utilissima fuerit, tamen ab ipso facinore Milonem non tam alienum fuisse, quam eum Cicero in defensione callidissime instituta videri voluerit.

ORATIO

PRO

T. ANNIO MILONE.

I. Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius [1]) ipse magis de rei publicae salute, quam de sua, perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse, tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt [2]), veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus; non [3]) illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid [4]), ut in foro, et in iudicio, quamquam praesidiis salutaribus et necessariis septi sumus [5]), tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quae si opposita Miloni puta-

1) *additur* Milo *apud Ern. Graev.*
2) inciderint *Ern. et Schütz. non item apud Graev.*
3) sumus. Nam *Graev. Ern. Schütz.*
4) nobis a. t. horroris aliquid *Ern. et Schütz.* non afferunt tamen oratori aliquid *Graev. omittit* oratori *Orellius et Garatonius ante* aliquid.
5) *omittitur* sumus *a Schütz. uncis includitur ab Ern.*

rem: cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum [1]). Sed me recreat et reficit Cn. Pompeii, sapientissimi et iustissimi viri, consilium: qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed praesidium denuntiant, neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur; neque auxilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quae quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes, unde aliqua pars fori adspici potest, et huius exitum iudicii exspectantes videtis, non quum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

II. Unum genus est adversum infestumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si qui forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresque maximos pro vestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si umquam de bonis et fortibus viris; si umquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est,

1) oratori locum esse *Graev. Ern.*

ubi sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, ac per [1]) vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur. Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius, quid magis sollicitum, magis exercitum dici, aut fingi potest, qui spe amplissimorum praemiorum ad rem publicam adducti, metu crudelissimorum exitiorum [2]) carere non possumus? Equidem ceteras tempestates et procellas, in illis dumtaxat fluctibus concionum, semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat: in iudicio vero, et in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute rei publicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur — nisi [3]) oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas; nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in rem publicam merita condonetis, nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, iccirco eam virtuti Milonis potius, quam populi

1) per *est ante* vestram *in edit. Orellii et Garat. non item in Graev. Ern. Schütz.*

2) suppliciorum *Graev. Ern. Schütz. Orellius interrogandi signum post* laboriosius *expunxit, reliquit post* potest. *Ponendum est potius post* possumus.

3) abutemur, nisi *Graev. Ern. Sch.* abutemur. Nisi *Gar. Orell.*

Romani felicitati assignetis. Sed si [1]) illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.

III. Sed, antequam ad eam orationem venio, quae est propria vestrae [2]) quaestionis, videntur ea mihi [3]) esse refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus: ut, omni errore [4]) sublato, rem plane, quae venit in iudicium, videre possitis. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri: qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem esse interfectam [5]) fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, quum a C. Carbone, tribuno plebis, in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque

1) Sin *Graev. Ern. Schütz.*

2) nostrae *Graev. Ern. Schütz.*

3) *abest* mihi *a Graev. Ern. non item* saepe *ante* ab improbis *quod Schütz. omisit.*

4) terrore *Graev. Ern. Schütz.*

5) interfectam esse *Graev. Ern. Schütz.*

hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt; eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum. Quod si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet [1]), interfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, quum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

IV. Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis illata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus militaris [2]) in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille summus vir [3]), scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim [4]) haec, iudices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salu-

1) defenderet *Garat.* defenderit *Orellius.*
2) *eiectum est* militaris *a Schützio, uncis inclusum ab Ern.*
3) vir summus *Graev. Ern. Schütz.*
4) igitur *Graev. Ern. Schütz.*

tis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter, et quodam modo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi; quae non hominem [1]) occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut, quum causa, non telum quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

V. Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse, contra rem publicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assensionibus universi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, aut [2]) summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant huius ambusti tribuni plebis illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, quum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quae quidem si potentia est appellanda potius, quam aut [3]) propter magna in rem publicam merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter hos officiosos labores meos

1) non modo hominem *Graev. Ern. Schütz.*
2) ad *Graev. Ern. Schütz.*
3) *abest* aut *ab edit. Graev. Ern. Schütz.*

nonnulla apud bonos gratia: appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum. Hanc vero quaestionem, etsi non est iniqua, numquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede, vel de vi: nec tantum maerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cuius enim de illo incesto stupro, iudicium decernendi senatui potestas esset erepta; de eius interitu quis potest credere senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rem publicam senatus factam esse decrevit? Quia nulla vis umquam est in libera civitate suscepta inter cives non contra rem publicam. Non enim est illa defensio contra vim umquam optanda: sed nonnumquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, quo [1]) Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica [2]), rem publicam tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipse decrevi, quum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra rem publicam fecisse; sed, quum inesset in re vis et insidiae, crimen iudicio reservavi, rem notavi. Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem, quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo. Nihil enim necesse est, omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est.

1) in quo *Graev. Ern. Schütz.*

2) Saturnini, etiamsi e re publica, oppressa sunt *Graev. Ern. Sch.*

VI. At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de causa iudicavit. Tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit [1]). Quid ergo tulit? Nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? Factumne sit? At constat. A quo? At paret [2]). Vidit igitur [3]) etiam in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur: quum videret nos fateri, neque quaeri umquam iussisset, nec vobis tam salutarem hanc in iudicando literam, quam illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit. Iam illud dicet ipse profecto, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an tempori.

VII. Domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus huius nostri iudicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Drusus occisus est. Nihil de eius morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est. Quantum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, quum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? Quis tum non ingemuit [4]), quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne

1) esset *Orellius, reliqui* fuit.
2) paret *Graev. at Ern. et Schütz.* patet.
3) *abest* igitur *ab Ern. et Schütz. edit. Graev. habet* igitur.
4) gemuit *Graev. Ern. Schütz.*

necessariam quidem exspectatam esse mortem! Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? Certe nulla. Quid ita? Quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur, et legibus. Nisi forte magis erit parricida, si qui [1]) consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Hoc enim saepe ab istis dicitur. Proinde [2]) quasi Appius ille Caecus viam muniuerit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia via, quum ornatissimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum; homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? Quae cruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis et parricidae sanguine imbuta est. Sed quid ego illa commemoro? Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompeius; caruit senatu; caruit publico; ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit. Num qua [3]) rogatio lata? num qua [3]) nova quaestio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in

1) quis *Graev. Ern. Schütz.* 2) perinde *Graev. Ern. Schütz.*
3) qua *sic cum Garat. Lamb. et Heum. scribendum. Graev. Ern. Schütz. Orell.* quae.

foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus; ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus civitatis; eo porro rei publicae tempore, quo, si unus ille cecidisset [1]), non haec solum civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi vero quia perfecta res non est, non fuit punienda: proinde [2]) quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit, re non perfecta; sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ego ipse, iudices, ex P. Clodii telis, et ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non vel mea, vel rei publicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?

VIII. Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest. Luget senatus; maeret equester ordo; tota civitas confecta senio est; squalent municipia; afflictantur coloniae; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit profecto [3]) ea causa, iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompeius quaestionem ferendam; sed homo sapiens, atque alta, et divina quadam [4]) mente praeditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium laetitia, si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vi-

1) *Graev. Ern. Schütz. Orell.* occidisset.

2) perinde *Graev. Ern. Schütz. at Garat. et Orell.* proinde.

3) profecto *legitur ante v.* causa *apud Ern. et Schütz. at Graev. posuit vocem post* iudices.

4) et alta quadam et divina *Ern. et Schütz.* et alta et divina quadam *Graev.*

dit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina. Neque vero, quod nonnulli dictitant, secrevit in iudicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir iustissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea, quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. Sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod res publica nos coniunxit cum bonis. Ex quibus ille quum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non [1]) studiosos mei. Quod vero te, L. Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit: nihil quaesivit aliud [2]), nisi iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut consularem necesse esset: credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis, et perditorum temeritati. Ex consularibus te creavit potissimum. Dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima. Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus: si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est; et lator ipse legis, quum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit: et electi iudices, isque praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit. Quod quo facilius argumentis per-

1) non legere *unus habet Schütz.*
2) aliud *Garat. tamquam glossam eiecit.*

spicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quaeso, diligenter attendite.

IX. P. Clodius quum statuisset omni scelere in praetura vexare rem publicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses praeturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rem publicam quaereret: subito reliquit annum suum, seseque [1]) in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, adevertendam rem publicam, plenum annum atque integrum. Occurrebat [2]), mancam ac debilem praeturam suam futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad eius competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitis illis, gubernaret: tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus, se interponebat; Collinam novam dilectu perditissimorum civium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani saepe esse declaratum: palam agere coepit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura, Etenim palam di-

1) seque *Graev. Ern.*

2) *additur* ei *a Graev. Ern. et Schütz.*

ctitabat, consulatum Miloni eripi non posse; vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu: dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo, respondit, triduo illum, aut [1]) summum quatriduo, periturum. Quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

X. Interim quum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter sollemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, numquam reliquisset. Milo autem quum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paullisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est; deinde profectus [2]) id temporis, quum iam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod numquam fere: quum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno et impedito, et muliebri [3]) et delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum

1) ad *habent omnes priores editt. Garat. et Orell.* aut.

2) profectus est *habent omnes priores editores praeter Garat. et Orellium.*

3) *sic Graevius et Garat.* magno impedimento, ac mul. *Ern. Schütz. Orellius.*

eius, hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: adversi rhedarium occidunt. Quum autem hic de rheda, reiecta paenula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant; ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, quum ad rhedam pugnari viderent, et [1]) domino succurrere prohiberentur, Milonem [2]) occisum et ex ipso Clodio audirent, et revera putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim, non derivandi criminis causa, sed ut factum est,) neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

XI. Haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid res publica consecuta sit; nihil, quid vos; nihil, quid omnes boni. Nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rem publicam vosque servaret. Si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam. Sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent,

1) *omittitur* et *a Graev. Garat. et Peyronio; retinetur ab Ern. Schützio et Orellio.*

2) Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, et ita esse putarent, fec. id s. M. — *Sic Graev. Ern. Schütz. Graevius modo habet* revera *pro* ita esse; *item* servi Milonis *retinuit, Ern. uncis inclusit, Schütz. omisit. Orellius ubique merito Garat. secutus est.*

a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum. Quod si ita putasset: certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia se illi non iugulandum tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit; illud iam in iudicium venit, non, occisusne sit, quod fatemur, sed iure, an iniuria: quod multis in causis saepe [1]) quaesitum est. Insidias factas esse constat; et id est, quod senatus contra rem publicam factum iudicavit; ab utro factae sint, incertum est. De hoc igitur, latum est, ut quaereretur. Ita et senatus rem, non hominem, notavit: et Pompeius de iure, non de facto, quaestionem tulit. Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi, uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi: ut ne sit impune. Si ille huic: tum nos scelere solvamur.

XII. Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, CUI BONO FUERIT, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset, non eo consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam, ut iis [2]) consulibus praetor esset, quibus, si non adiuvantibus, at conni-

1) iam saepe *Garat. Cum reliquis Orellius* saepe.
2) his *Graev. Ern. Schütz.*

ventibus certe, speraret, posse se eludere [1]) in illis suis cogitatis furoribus: cuius illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere cuperent, quum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; et, si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam. An vero, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces urbis, pestes [2]) rei publicae,) fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus?

XIII. Exhibe, exhibe [3]) quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo, et ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium sustulisse, ut praeclarum videlicet munus, atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses [4]). Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnibus omnia minabatur.

1) sperasset se posse rem publicam eludere *Graev.* speraret s. p. r. p. e. *Ern. Schütz.*

2) et pestes *Graev. Ern. Schütz. omisit* et *Garat.*

3) *deest hoc* exhibe *in edit. Ern. et Schütz. non item in Graev.*

4) *Hic inseruerunt in textum Peyronius atque Orellius haec verba:* Atque *permultas leges praeter ius et aequitatem excogitatas quum recitare possem, unam tantum exponam, iudices, ceterarum omen atque firmamentum. Ille enim maiora suis legibus suffragia, atque latrociniis arma comparaturus constituerat, ut servis, qui privata dominorum voluntate manumissi in libertate morabantur, iusta libertas ac civitas Romana cum suffragio in rusticis tribubus ipso iure daretur.* An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium: — non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.

Movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quare, etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam — laudare non possum — irasci certe non debeo [1]).

Demonstravi [2]), *iudices, quantum Clodii interfuerit occidi Milonem*; convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo repugnante fiebat; immo vero, eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces, et lacrimae nostrae, quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam; sed plus multo valebat periculorum impendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi solutam P. Clodii praeturam sine maximo rerum novarum metu proponeret [3])? solutam autem fore videbatis, nisi esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem

1) quam rem, etsi, quia nefarie fecisti, laudare non possum, tamen, quoniam in m. i. cr. expr. tuam, irasci —. *Sic Ern. textum mutavit, eumque secutus est Schütz. Graevianam lectionem hic expressam recepit Orell. Nos tantum lineolis verba* laudare non possum *hoc modo secernenda putavimus.*

2) *Demonstravi* — sibi solutam. *desunt in prioribus editt. omnibus. Orellius ea recte recepit cum Peyronio e Palimpsesto.*

3) proponi et solutam *etc. Graev. Ern. Schütz.*

unum [1]) esse quum sentiret universus populus Romanus, quis dubitaret, suffragio suo se metu, periculo rem publicam liberare? At nunc [2]) Clodio remoto, usitatis iam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa et [3]) huic uni concessa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam Clodii morte [4]) cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. Quid? si haec, non dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc: quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiem [5]) suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille, erat, ut odisset, primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo [6]) etiam accusatorem suum, reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum [7]) tulisse creditis? quantum odium illius, et, in homine iniusto, quam etiam iustum fuisse [8])?

1) *deest* unum *in omnibus prioribus editt.*
2) non P. *in Ern. Graev. habet* nunc.
3) *deest* et *in omnibus prioribus editt. praeter Peyr. et Orell.*
4) morte Clodii *in omnibus prioribus praeter Peyr. et Orell.*
5) materiam *habet Palimps.*
6) postremum *habet idem.*
7) *additur* illum *ab eodem.*
8) *abest* fuisse *ab editionibus prioribus.*

XIV. Reliquum est, ut iam illum natura ipsius consuetudoque defendat, hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim umquam Clodius; omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? quum, maerentibus vobis, urbe cessi; iudiciumne timui? non servos, non arma, non vim? Quae fuisset igitur iusta causa [1]) restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat; multam irrogarat; actionem perduellionis intenderat; et mihi videlicet in causa, aut mala, aut mea, non et praeclarissima, et vestra, iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi, hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum rei publicae, paene interfici servorum manu, quum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc quum esset una, ita est mulcatus [2]), ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est; huic ego vos obiici pro me non sum passus; haec insidiata Pompeio est; haec istam Appiam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit; haec, haec eadem, longo intervallo, conversa rursus est in me, nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cuius vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius quum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantae quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, quum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci? potuitne,

1) causa iusta *Ern. Schütz. Omittitur* iusta *a Graevio.*
2) multatus *Ern.; at Graev. Orell. Garat.* mulcatus.

civi [1]) egregio, et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, quum est lata lex de me? quum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam lubens agnovisset: ut, etiam si id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. At quod erat tempus [2])? Clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meae; septem praetores, octo tribuni plebei [3]), illius adversarii, defensores mei; Cn. Pompeius auctor et dux mei reditus, illius hostis; cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est; qui populum Romanum est cohortatus [4]), qui, quum decretum de me [5]) Capuae fecit, ipse cunctae Italiae cupienti, et eius fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent: omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui [6]) tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur. Tamen se Milo continuit, et P. Clodium in [7]) iudicium bis, ad vim numquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, quum in Cn. Pompe-

1) cive *in superioribus editt. et paullo post* libens.
2) Atqui erat id temporis clariss. *Graev. Ern. Schütz.*
3) plebis *sic priores.* 4) cohortatus est *Graev. Ern.*
5) de me decretum *sic priores.*
6) quem si qui *Ern. Schütz. Omittit Graev.* si.
7) ad *Ern. Schütz. Moebius.* in *Graev.*

ium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero quum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus rei publicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, iudicii laqueos declinantem, iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales! fuit? Quum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? quum ille in saepta [1]) irrupisset, gladios destringendos, lapides iaciendos curasset, dein [2]) subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos, et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela; quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? Praesertim, iudices, quum honoris amplissimi contentio, et dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus,) omnia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam obscure quae [3]) cogitari possunt, timemus; rumorem, fabulam fictam, levem [4]) perhorrescimus; ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim est

1) vi in septa *Ern. Schütz. Omittit* vi *Graev.*
2) deinde *Graev. Ern. Schütz.*
3) quae obscure *Graev. Ern.*
4) falsam *post* fictam *omittunt Garat. et Orell.* levem *omisit Schütz.*

tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt. Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus et facinus prae se ferens et confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? Quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, qui se interfecto Milone regnaturum putaret? Quid? quod caput est [1]) audaciae, iudices: quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem. In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita iudicia poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret?

XVII. Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te, Q. Petilli, appello, optimum et fortissimum civem: te, M. Cato, testor: quos mihi divina quaedam sors dedit iudices. Vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Quum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare, quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? Dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit, necesse esse Miloni, proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die. Itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi, fuit [2]) insanissima concio, ab ipsius mercenario tribuno plebis

1) caput audaciae est *Ern.* caput est audaciae *Graev.*

2) *abest* fuit *ab edit. Ern.*

concitata [1]); quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid? si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire potuerit? Quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. Ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset: omnes scilicet Lanuvini [2]). Milo de Clodii reditu unde quaesivit? Quaesierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Q. [3]) Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius Schola [4]), Interamnas, familiarissimus, et idem comes P. Clodii: cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat, et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse; sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum; itaque Romam repente constituisse proficisci Dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.

XVIII. Videte, iudices, quantae res his testimoniis sunt [5]) confectae. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe — si ille obvius ei [6]) futurus omnino

1) est concitata *Ern. Schütz.; at Graev. uti in nostro textu.*
2) *haec tria verba Garat. et Orell. uncis incluserunt.*
3) *abest praenomen a Graev. Ern. Schütz. edit.*
4) cognomento Scola *Graev. Ern. Sch.* 5) sint *Graev. Ern. Sch.*
6) quippe [si ille] obvius ei *sic Orelli.* quippe qui obvius ei *Gr*

non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium,) scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet [1]) latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant. Iacent suis testibus hi [2]), qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset, fuisse rediturum. Respiravi; liberatus sum; non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc persequar cetera. Nam occurrit illud: »Igitur [3]) ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus.« Si quidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui; testamentum simul obsignavi cum Clodio; testamentum autem palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum. Quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? Quid afferebat festinationis, quod heres erat [4])? primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amit-

rat. Ern. quippe si ille obvius ei *Graev. Uncos sustuli et posui lineolam post* quippe. *Schütz. et Goerenz.:* quippe; ei obvius.

1) Videlicet me *Graev. Ern. Schütz.*

2) ii *Graev. Ern. Schütz.*

3) *deest* Igitur *in Ern. et Schütz. edit. non item in Graev.*

4) quid afferebat festinationem? Quod heres erat? *sic Schütz.* quid afferebat caussa festinationis? *Graev.* quid afferebat caussam festinationis *Ern.*

teret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, quum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit. Noctu, insidioso et pleno latronum in loco occidisset. Nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum [1]) neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem; deinde ibi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent; tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens devertit Clodius ad se in Albanum [2]). Quod ut sciret Milo, illum Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, deversurum. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret: nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc constare omnia, iudices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere, illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis; odium fuisse illius in hunc acerbissimum, nullum huius in illum [3]); consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda; mortem ab illo denuntiatam Miloni et praedictam palam, nihil umquam auditum ex Milone; profectionis huius diem illi notum, reditum il-

1) quum *habet Schütz.; Graev. autem et Ern.* dum.

2) Clodius ad se, ad Albanum *Graev. Ern.* Clodius ad Albanum *Schütz.*

3) in illum huius nullum *Graev. Ern. Schütz.*

lius huic ignotum fuisse; huius iter necessarium, illius etiam potius alienum; hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse reditu- rum; hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem exspectandam, illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, iudices, etiam dubitandum et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium, edito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum delegerat [1])? An in eo loco est potius exspectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, iudices, ipsa: quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, quum alter veheretur in rheda, paenulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, quum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa subito: cur? vesperi: — quid necesse est? — tarde: qui convenit, id praesertim temporis? Devertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? Sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? Mil-

1) elegerat *Graev. Ern. Schütz.*

lies in ea fuerat. Quid ergo erat? Mora et tergiversatio. Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age, nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore; tum sine ea. Numquam non in rheda; tum in equo. Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam quum in castra Etrusca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? Quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia, quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero sic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille, et quantum interesset P. Clodii, se perire, et quanto illi odio esset, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam et paene addictam sciebat, numquam in periculum sine praesidio et sine custodia proiiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum Martemque communem; qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit, et perculit ab abiecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis; qui quum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitavit; in quos incensos ira, vitamque domini desperantes quum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumisit? Metuebat scilicet, ne indicarent, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogerentur, occisum esse a servis Milonis in Ap-

pia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? Quid quaeris? Occideritne? Occidit. Iure, an iniuria? Nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quaestio est, iuris in iudicio.

XXII. Quod igitur in causa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemiis: nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benivolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? Etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt [1]) conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? Rogas? De P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? Ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla quaestio est in dominum [2]), nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum, quum

1) fuissent *Graev. Ern. Schütz.*

2) nulla lege quaestio est in dominos *Graev. at Ern. et Schütz. nostram amplectuntur lect.*

ad ipsos penetrarat: cuius de morte, tamquam de caerimoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum [1]), et dominis morte ipsa tristius. In reum de servis accusatoris quum quaeritur, verum inveniri potest? Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu, Rufio [2]), verbi causa, cave sis mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni? »Fecit.« Certa crux. »Nullas fecit.« Sperata libertas. Quid hac quaestione certius? Subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi [3]) centum dies penes accusatorem quum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quod si nondum satis cernitis, quum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse: recordamini, per deos immortales! quae fuerit celeritas reditus eius; qui ingressus in forum, ardente curia; quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis et armis; neque his tantum, verum etiam eius potestati, cui senatus totam rem publicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma commiserat; cui numquam se hic profecto tradidisset, nisi causae suae confideret; praesertim omnia audienti,

1) *additur* esse *in edit. Ern. et Schütz. non item in Graeviana.*
2) Ruscio *Graev. Ern. Schütz.*
3) Hic *in Schütz. at in Graev. et Ern.* hi.

magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione certa causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? Negabant eum Romam esse rediturum. Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum: arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, quum sanguine inimici explesset odium suum; sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, quum suo periculo salutem rei publicae attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset. Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. Miseros interdum cives, optime de re publica meritos! in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere.

XXIV. Quid? quae postea sunt in eum congesta, quae quemvis, etiam mediocrium [1]) delictorum conscientia perculissent, ut sustinuit? dii immortales! sus-

1) in mediocrium *Schütz*.

tinuit? immo vero ut contempsit, ac pro nihilo putavit, quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, [frenorum [1]], sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. Nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus; arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi; domus in clivo Capitolino scutis referta [2]); plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum: haec non delata solum, sed paene credita: nec ante repudiata sunt, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii: sed dicam, ut sentio, iudices. Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est res publica. Quin etiam audiendus fuerit popa Licinius, nescio qui de circo maximo [3]), servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse, de [4]) interficiendo Cn. Pompeio coniurasse, deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nuntiavit: arcessor in primis: de amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari; sed mirabar tamen, credi popae; confessionem servorum audiri; vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verum [5]), ut intelligo, cavebat magis Pompeius, quam timebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omni-

1) frenorum *sine uncis apud Graev. Ern. Schütz.*

2) domum — refertam *Ern. Schütz.; at in Graev.* domus — referta.

3) nescio quis de circo *Ern. Schütz.; at Graev. nostram habet lect.*

4) se — coniurasse *Ern. Schütz. at Graev. omittit* se *ante voc.* de.

5) Veruntamen *Ern. Schütz.; at Graev.* Verum.

no omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. Tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium, praestantissima virtute virum, timidum suspicari: diligentiam, tota re publica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio, senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis et civis, et viri, fidem non faciebat, ut [1]), eo tacente, res ipsa loqueretur. Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt.

XXV. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc iam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim iam appello et [2]) ea voce, ut me exaudire [3]) possis) tuas, tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitarunt [4]), si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus, et non unius viri vires atque opes indicantur, si quidem in hunc unum et praestantissimus dux electus, et tota res publica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi rei publicae partes aegras et

1) nisi *Ern. Schütz.; at Graev.* ut.
2) *omittitur* et *a Graev. Ern. Schütz.*
3) audire *Graev. Ern. Schütz.*
4) dictitant *Graev. Ern. Schütz.*

labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quod si Miloni locus datus esset, probasset profecto tibi ipsi neminem umquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi; nullum se umquam periculum pro tua dignitate fugisse; cum ipsa illa [1]) teterrima peste saepissime pro tua gloria contendisse; tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum; se a te postea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione praeturae; duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret; si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset; si denique Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade numquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, quum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, (qui quam crebro accidat, experti debemus scire,) et amicissimi benivolentiam, et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

XXVI. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, iuris publici, moris maiorum, rei denique publicae peritissimum, quum senatus ei commiserit, ut vide-

1) illa ipsa *Ern. Schütz.; at Graev.* ipsa illa.

ret, NE QUID RES PUBLICA DETRIMENTI CAPERET; quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis; hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exspectaturum fuisse in eius consiliis vindicandis, qui vi [1]) iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompeio, satis [2]), falso ista conferri in Milonem; qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret. Quod vero in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet: satis declarat, se non terrorem inferre vobis, (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse, et more maiorum et suo iure, posset?) sed praesidio esse: ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere iudicare.

XXVII. Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet; nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. De qua, si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare atque mentiri gloriose liceret. »Occidi, occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem videbatur [3]), in suspicionem incidit regni appetendi; non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit; quorum interfectores impleverunt [4]) orbem terrarum nominis sui gloria; sed eum, (auderet enim dicere, quum patriam pe-

1) vel *Graev. Ern.; at Schütz.* vi.
2) *deest hoc* satis *in edit. Schütz. non item in Graev. Ern.*
3) putabatur *Graev. Ern. Schütz.*
4) implerunt *Graev. Ern. Schütz.*

riculo suo liberasset,) cuius nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae feminae comprehenderunt; eum, cuius supplicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit; eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse; eum, qui civem, quem senatus, quem populus Romanus [1]), quem omnes gentes, urbis ac vitae civium conservatorem iudicarant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est; eum, qui, plurimis caedibus in foro factis, singulari virtute et gloria civem domum vi et armis compulit; eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore nec in libidine; eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam [2]) recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret; eum denique, cui iam nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini; qui non calumnia litium, non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat; qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contempserat,) sed hunc P. [3]) Varium, virum fortissimum, atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus, armis castrisque conatus est; qui cum architectis et decempedis villas multorum, hortosque peragrabat; qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum; qui quum ab equite Romano splendido et forti M. Paconio [4]) non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in

1) *abest* Romanus *a Graev. Ern. Schütz. edit.*
2) publicae *Schütz. at Graev. et Ern.* publicam.
3) Q. *Graev. Ern. Schütz.*
4) et forti viro, T. Pacavio *Ern. Schütz.; at Graev. omittit* viro.

eam insulam materiem [1]), calcem, caementa, arma [2]) convexit, dominoque trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium exstruere in alieno; qui huic T. Furfanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Scantia? quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset,) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum; qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit; qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine.«

XXVIII. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur: etsi aequabiliter [3]) in rem publicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant iam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? Imperium ille si [4]) nactus esset: omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas; vota enim faceretis, ut in eos se potius immitteret [5]), quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias; pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, et a coniugibus vestris numquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec puta-

1) materiam *Graev. Ern. Schütz.*

2) atque arma *Ern. Schütz.; at Graev. omittit* atque.

3) aequaliter *Ern. Schütz. non Graev.*

4) si ille *Graev. Ern. Schütz.*

5) mitteret *Graev. Ern. Schütz.*

tis, quae patent? quae [1]) nota sunt omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rem publicam, resque privatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: »Adeste, quaeso, atque audite cives: P. Clodium interfeci; eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus, hoc ferro et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me ut unum [2]) ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent;« esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas. Nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum rei publicae profuisse, maxima laetitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat, et sentiat? Non queo [3]), vetera illa populi Romani gaudia [4]) quanta fuerint, iudicare. Multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriae, iudices. Spero multa vos liberosque vestros in re publica bona esse visuros: in iis [5]) singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et, quemadmodum confido, verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et iudiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens,

1) haec, quae *Graev. Ern. Schütz.*
2) per me unum ut *Graev. at Ern.* ut unum.
3) Nequeo *Graev. Ern. Schütz.*
4) quanta fuerint gaudia *Graev. Ern. Schütz.*
5) his *Graev. Ern. Schütz.*

qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuae possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum evomere videar, quam verius. Etenim, etsi praecipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur, odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, iudices. Nempe haec est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite animis; liberae enim sunt cogitationes nostrae, et, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus; fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit! Quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset, ut quaestionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? Etiamsi, propter amicitiam, vellet [1]) illum ab inferis evocare [2]), propter rem publicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis: et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Huius ergo inter-

1) voluisset *Ern. at Graev.* vellet.

2) revocare *Ern. Schütz.; at Graev.* evocare.

fector si [1]) esset, in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem, et memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur [2]), inquam, si fecisset et magno animo et libente, se fecisse libertatis omnium causa; quod esset [3]) ei certe non confitendum modo, verum etiam praedicandum.

XXX. Etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? Nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri defensorem fuisse: quum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus sua cuiquam [4]) non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset: magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri laetarentur? Quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus oppri-

1) qui *Graev. Ern. Schütz.*

2) *abest alterum* confiteretur *a Schütz. edit. non item ab Ern. et Graev.*

3) *abest* esset *a Graev. Ern. Schütz. edit.*

4) cuique *Ern. et Schütz.; at Graev.* cuiquam.

mendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, quum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quae mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius rem publicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de re publica cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmet ipsi; et, si grata res publica esset, laetaretur; si ingrata, tamen, in gravi fortuna, conscientia sua niteretur.

XXXI. Sed huius beneficii gratiam, iudices, Fortuna populi Romani, et vestra felicitas, et dii immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit, numenve divinum; quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec caeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum est, maiorum [1]) sapientia: qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis, suis posteris, prodiderunt. Est, est profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra, inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu.

1) *Post* maiorum *habent* nostrorum *Graev. Ern. Schütz. Orell. non item Garat.*

Nisi forte iccirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea igitur ipsa, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit ac sustulit: cui primum mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura, res illa perfecta. Religiones mehercule ipsae, quae illam belluam cadere viderunt, commosse se videntur, et ius in illo suum retinuisse. Vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales, quas ille, praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum, arae [1]), vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat, tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illae, vobis vestro in conspectu serae, sed iustae tamen, et debitae poenae solutae sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis honesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam,

1) vestrae tum, arae, vestrae religiones *sic distinxit retenta voce* arae *Orellius.*

quum praelium commisisset, primum illud vulnus acceperit [1]), quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore et luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, cui [2]) concedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus. Non fuisse credo fas, clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo vita esset damnata.

XXXII. Dura mihi, medius fidius, iam Fortuna populi Romani, et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rem publicam insultare videret et pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones; senatus gravissima decreta perfregerat; pecunia se a iudicibus palam [3]) redemerat; vexarat in tribunatu senatum; omnium ordinum consensu pro salute rei publicae gesta resciderat; me patria expulerat; bona diripuerat; domum incenderat; liberos, coniugem meam vexarat [4]); Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat; magistratuum privatorumque caedes effecerat [5]); domum mei fratris incenderat; vastarat Etruriam; multos sedibus ac fortunis eiecerat. Instabat, urgebat; capere eius amen-

1) acceperit *Graev.* *at* acciperet *Ern. Schütz. Orell.* *at Garat.* *ut Graevius.*

2) quam *Graev. Ern. Schütz.*

3) palam a iudicibus *Graev. Ern. Schütz.*

4) vexaverat *sic superiores.*

5) fecerat *Ern. et Schütz. at Graev.* effecerat.

tiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. Incidebantur iam domi leges, quae nos nostris servis addicerent: nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat eius cogitationibus nemo, praeter Milonem. Ipsum illum, qui poterat obstare, novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur; Caesaris potentiam suam esse dicebat; bonorum animos etiam [1]) in meo casu contempserat; Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic, dii immortales, ut supra dixi, mentem illi perdito ac furioso dederunt [2]), ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit: numquam illum res publica suo iure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. Ne quum solebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An consules in praetore coërcendo fortes fuissent? Primum Milone occiso, habuisset suos consules. Deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum, virtutem consularem crudelissime vexatam [3]) esse meminisset? Oppressisset omnia, possideret, teneret: lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rem publicam nullam haberetis. An ille praetor, ille vero consul, si modo haec templa, atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum eius exspectare potuissent, ille

1) *omittitur* etiam *a Graevio, non item ab Ern. et Schützio.*
2) dederunt illi p. ac f. *Graev. Ern. Schütz.*
3) virum — vexatum *Graev. Ern. Schütz.*

denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno? qui quum tantum ausus sit ustor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate ipsum [1]), si potestis, ab inferis! Frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam concurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, quum audiretur silentio M. Caelius, tribunus plebei [2]), vir et in re publica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.

XXXIV. Sed iam satis multa de causa: extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat; ego,

1) eum *Graev. Ern. Schütz.*
2) plebis *sic priores.*

etiam repugnante hoc, et imploro, et exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrimam adspexistis Milonis; si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere. Haud [1]) scio, an multo etiam sit adiuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, et in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos et supplices, et, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus; fortes, et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare [2]) cupimus; eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue; et quibus intersum quotidie. »Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant; sint incolumes, sint florentes, sint beati; stet haec urbs praeclara, mihique patria carissima, quoquo modo erit merita de me [3]). Tranquilla re publica cives mei, (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi re publica bona frui non licuerit, at carebo mala; et quam primam tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae! Ego, quum tribunus plebis re publica oppressa, me senatui dedidissem [4]), quem exstinctum acceperam; equiti-

1) atque haud *Graev. Ern. Schütz.*

2) servari *unus habet Schütz.*

3) merita de me erit *Ern. et Schütz. at Graev. nostrum ordinem servat.*

4) dedissem *omnes editiones.*

bus Romanis, quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi umquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego, quum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi putarem in patria non futurum locum [1])? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox et defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?«

XXXV. Nec vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, se, negat ingratis civibus fecisse, quae fecerit: timidis, et omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita vestra, se [2]) fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deleniret [3]); nec timet, ne, quum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rem publicam singularibus. Senatus erga se benivolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam; vestras vero, et vestrorum [4]) ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum ablaturum esse dicit. Meminit etiam, sibi vocem praeconis

1) mihi futurum in patria non putarem locum *Graev. Ern. Schütz.*

2) suam se *Graev. Ern. Schütz.*

3) deliniret *Graev. Ern.*

4) ceterorum *unus habet Schütz.*

modo defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum. Nunc denique, si haec contra [1]) se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta; se nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus; nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium, gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam in coelum homines [2]) viderentur adscendere. »De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, quum omnes a meis inimicis faces meae invidiae subiiciantur [3]); tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et institutos dies; centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et, opinor, altera; qua fines imperii populi Romani sunt, non [4]) solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem,

1) haec arma contra *Graev. Ern. Schütz.*
2) homines in coelum *Graev. Ern. Schütz.*
3) subiiciuntur *unus Schützius habet.*
4) ea non *Graev. Ern. Schütz.*

ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris et iam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria.«

XXXVI. Haec tu mecum saepe, his absentibus: sed iisdem audientibus, haec ego tecum, Milo. Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum: sed, quo est ista magis divina virtus, eo maiore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa tamen [1]) ad consolandum querela, ut his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum umquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis, (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis. Quae si vos cepit oblivio, aut si in me aliquid offendistis: cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro. Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum saepe corpus et vitam obieci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te supplicem abieci; bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis futura, deposco. Quid iam restat? quid habeo, quod dicam,

1) saltem *Graev. Ern. Schütz.*

quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo; vosque obsecro, iudices, ut vestra beneficia, quae in me contulistis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occasura esse videatis.

XXXVII. His lacrimis non movetur Milo. Est quodam incredibili robore animi; exsilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus; mortem naturae finem esse, non poenam. Sit hic ea mente, qua natus est. Quid? Vos, iudices, quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis; ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis; vos in viri, et in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque milites; vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? proiicietur? O me miserum, o me [1]) infelicem! Revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? Mene [2]) non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua causa non potuisse? Quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? Ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? Me.

1) *abest* me *ab Ern. Schütz. habet Graev.*
2) Me *Graev.* *Ern. Schütz.*

Quodnam ego concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi? Omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? An ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Utinam dii immortales fecissent, (pace tua, patria, dixerim; metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie;) utinam [1]) P. Clodius non modo viveret, sed étiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem et a vobis, iudices, conservandum virum! »Minime, minime, inquit. Immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas.« Hiccine vir patriae natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte, pro patria? [2]) Huius vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? Hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit; hanc ingratam, si eiecerit; miseram, si amiserit! Sed finis sit, neque enim prae lacrimis iam loqui possum: et hic se lacrimis defendi vetat. Vos oro, obtestorque,

1) ut *unus habet Schütz. Graev. et Ern.* utinam.
2) aut — patria? *haec unus eiecit Schütz.*

iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis, optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque delegit [1]).

1) legit *Graev. Ern. Schütz.*

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO
Q. LIGARIO.

ORATIO
PRO
Q. LIGARIO.

SUMMARIUM.

A. V. C. 703. C. Considius Longus ex lege Pompeia et SCto Africam provinciam pro praetore obtinuit, ex qua quum decederet, Q. Ligarium legatum suum ei praefecit. Anno sequente quum subito bellum civile inter Caesarem et Pompeium exarsisset, Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, etsi eum cives et reliqui provinciales, qui Pompeii partibus favebant, ducem habere volebant, nullo se negotio implicari passus est. Interim Atius Varus, qui praetor A. V. 702. Africam obtinuerat, Uticam venit; is delatum ad se imperium cupide arripuit. Quae quum geruntur, L. Aelius Tubero ex S. C. in provinciam venit, a Varo iam occupatam. (Caes. de B. C. I. 30.) Exclusus igitur una cum filio Q. se in Macedoniam ad Pompeium contulit. Ligarius in Africa permansit; Pompeianis autem in Africa devictis, quum Caesar, iratior iis, qui bellum illud pertinacius continuassent, vitam tamen, Adrumeto capto, Ligario concessisset (de bello Afr. c. 89.) exsul ibi vixit, nec ausus est in Italiam redire. Attamen pro eius salute fratres et propinqui Caesari supplicare non desistebant. Exeunte autem A. V. 707. Q. Aelius Tubero, Caesaris clementia una cum patre restitutus, Ligarium absentem apud Caesarem ac-

cusavit, quod in Africa fuisset. Eum hac oratione in foro habita Cicero defendit.

In exordio fatetur Ligarium belli illius tempore in Africa fuisse, sed si hoc delictum sit id esse ei cum Tuberone eiusque patre commune. Duo autem tempora carere crimine, unum quum sit legatus in Africam profectus, alterum quum efflagitatus a provincia praepositus sit Africae; tertium autem, quo post adventum Vari in Africa restiterit, necessitatis crimen esse non voluntatis. c. 1—3. In quo Cicero suam ipsius et Tuberonis rationem cum Ligarii conditione comparat; quibus quum Caesar multo maiores causas irascendi habuerit, et tamen ignoverit, mirum esse eum a Tuberone accusari, qui multo meliorem causam quam accusator habeat. c. 4. Praeterea quum Ligarius iam in exsilio sit, hanc accusationem eam vim habere videri, non ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Quam crudelitatem graviter reprehendit, ac si hanc Tubero a se alienam dicat, satis durum esse, si postulet ne Ligario ignoscatur. c. 5. Et quod Tubero dixerat se velle de Q. Ligarii scelere dicere, negat Cicero causam eorum, qui cum Pompeio contra Caesarem steterint, scelus appellandam esse. c. 6. Deinde Ligarii causam cum Tuberonis comparat, et hanc illa multo graviorem fuisse ostendit c. 7—9. Postremo se in hac causa apud Caesarem non ut ad iudicem agere, sed ut ad parentem loqui, ad clementiam eius confugere, et ut Ligario ignoscat orare. c. 10. In quo simul illud confirmat, Caesarem in Q. Ligario conservando, omnibus Sabinis, T. Broccho Ligarii avunculo eiusque filio, imprimis autem duobus Ligarii fratribus, denique multis equitibus Romanis gratissimum esse facturum. c. 11. Postremo rogat, ut in Ligario restituendo eadem bonitate et misericordia utatur, quam nuper in Marcello senatus precibus concedendo ostenderit. Nihil enim nec fortunam eius habere maius, quam ut possit, nec naturam melius, quam ut velit, quam plurimos conservare. c. 12.

Hac oratione Caesar victus Q. Ligario ignovit, qui tamen huius beneficii immemor postea cum ceteris in eum

coniuravit Appian. de B. C. lib. II. c. 113. deinde vero (ibid. IV. 22.) proscriptus una cum altero fratre periit.

Ceterum Tuberonis in Ligarium oratio Quintiliani aetate exstitit, qui eam cum Ciceronis oratione utiliter comparari censet. X. 1, 23. Eamque ab ipso lectam esse hic locus confirmat, XI. 1, 80. ubi, *Tubero*, inquit, *iuvenem se patri haesisse, illum a senatu missum, non ad bellum, sed ad frumentum coëmendum ait, ut primum licuerit, a partibus recessisse, Ligarium et perseverasse, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, quum salvam uterque rem publicam vellet, sed pro Iuba atque Afris inimicissimis populo Romano stetisse.*

ORATIO

PRO

Q. LIGARIO.

Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te, Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse: idque C. Pansa, praestanti vir ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quae est ei tecum, ausus est confiteri [1]. Itaque, quo me vertam, nescio. Paratus enim veneram, quum tu id neque per te scires [2], neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer: sed, quoniam diligentia inimici investigatum est id, quod latebat [3], confitendum est, opinor [4]; praesertim quum meus necessarius, C. Pansa fecerit, ut id iam integrum non esset; omissaque controversia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, quum a te non liberationem

1) *Ironiam in hoc exordio agnoscit Quintilian.* IV. 1, 39. „Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Caesar minus se in rem, tamquam non novam, intenderet?"

2) scire *aliquot Mss. teste Grutero.*

3) *Sic cod. Erf. Pal.* 9. *Colon. alii et recepit Grut. Vulg. abest* id.

4) *Vulgo* ut opinor. *Graevius auctoritate codd. Col. Dresd. omisit* ut.

culpae, sed errati veniam impetravissent. Habes igitur, Tubero [1]), quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum, sed tamen ita confitentem [2]), se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

II. Q. igitur Ligarius [3]), quum esset adhuc nulla [4]) belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est: qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Q. Ligarius, quum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset eius integritas et fides. Bellum subito exarsit: quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis, post etiam studii sui quaerebant aliquem ducem: quum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Atius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Uticam venit. Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse

1) *Laudat hanc apostrophen Quintilian.* IV. 2, 67.

2) sed tamen hoc confitentem *cod. Erf. et Colon.* sed tamen hunc confitentem *cod. Pith.* sed tamen hic confitentem *cod. Dresd.*

3) enim Ligarius *Graev. Ern. Schütz.* igitur Ligarius *olim a me defensum, Orelli.*

4) *Vulgo* quum esset adhuc nulla. *Sed* adhuc *delevit Graev. auctoritate codd. Erf. Colon. Dresd. eumque secuti sunt Ern. Schütz. Orelli.*

potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli; legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? Multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam [1]) honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine: unum, quum est legatus profectus; alterum, quum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est. Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit: quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticae potius, quam Romae, cum P. Atio, quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Quum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic aequo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

III. Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis: cuius ego causam, animadverte, quaeso, qua fide defendam — prodo meam! [2]) O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decoran-

1) *Sic Görenzius ad Cic. de Fin.* p. 280. *Vulgo* etiam necessitatem.

2) *Graev. et Schütz. uti reliqui praeter Orellium, qui recepit scripturam olim a me commendatam, et sic distinxit* defendam: prodo meam.

dam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse, nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi, de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat. Vide, quam non reformidem: vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, quum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, rei publicae reddidit; qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem; qui, quum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est; a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi; qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset. Vide, quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam dicere [1]). Atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret: cuius ego industriae gloriaeque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod eius ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quaero, quis putet esse crimen, fuisse in Africa Ligarium? Nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit, et prohibitum se a Ligario queritur, et certe contra ipsum Caesarem est

1) non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri *Graev. Ern. Schütz. Orelli.*

congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus [1]) in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi, quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo; commoveri videtur adolescens; ad me revertar. Iisdem in armis fui. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi, ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac causa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero: quod homo quum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causae quod esset, non viderit. Nam, si vidisset, quovis profecto, quam isto modo a te agi maluisset.

IV. Arguis fatentem. Non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, ut ego dico, meliorem quam tu, aut, ut tu vis, parem. Haec admirabilia sunt [2]), sed prodigii simile est, quod dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Usque ad sanguinem incitari solet odium aut levium Graecorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis? ut Romae ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avunculo suo, ne cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num

1) Quid enim, Tubero, destrictus ille tuus *Graev. Ern.* quid enim, tuus ille, Tubero, destrictus *Schütz.* q. e, T. tuus ille destr. *Orelli.*

2) *Sic unus cod. Col. antiquus, quem Heum. Schütz. et Orellius merito secuti sunt. Vulgo* haec non modo mirabilia sunt, sed prodigio similia sunt, quae dicam, *alii libri* simile est, quod dicam.

est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita, vis. At istud, ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse iubebat occidi, nullo postulante; praemiis etiam invitabat. Quae tamen crudelitas ab hoc [1]) eodem aliquot annis post, quem nunc crudelem esse vis, vindicata est?

V. Ego vero istud non postulo, inquies. Ita mehercle existimo, Tubero. Novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum, studia denique generis ac familiae vestrae, virtutis, humanitatis, doctrinae plurimarum artium atque optimarum, nota sunt mihi omnia. Itaque certo scio, vos non petere sanguinem: sed parum attenditis. Res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quae est igitur alia, praeter mortem? Si enim in exsilio est, sicuti est, quid amplius postulatis? An, ne ignoscatur? Hoc vero multo acerbius, multoque est durius. Quod nos domi petimus [2]), precibus et lacrimis, strati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes, quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos iacentes ad pedes, supplicum voce prohibebis? Si, quum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses, et clamare coepisses: Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur; nonne omnem humanitatem exuisses? quanto hoc durius, quod

1) *Graev. Ern. Schütz. sine auctoritate omiserunt vocem* hoc, *Orellius recepit eam.*

2) *Coniecit Fabricius* petiimus, *Orellius in edit. recepit.*

nos domi petimus, id te in foro oppugnare [1]? et in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere? Dicam plane, C. Caesar, quod sentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo, quid loquar,) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, quum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui quum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam, quum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te in alios esse misericordem? Quod si probare Caesari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse; si honesto et misericordi mendacio saluti civi [2]) calamitoso esse vellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine et periculo civis, refellere et coarguere nostrum mendacium; et, si esset alicuius, eius certe non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset. Sed tamen aliud est errare Caesarem nolle, aliud nolle misereri. Tum diceres: cave, Caesar, credas; fuit in Africa Ligarius; tulit arma contra te. Nunc quid dicis? Cave ignoscas. Haec nec hominis, nec ad hominem vox est [3]): qua qui apud te, C. Caesar, utetur, suam citius abiiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

VI. Ac primus aditus et postulatio Tuberonis haec, ut opinor, fuit; velle se de Q. Ligarii scelere dicere.

1) id a te in foro oppugnari *Graev. Ern. nostram scripturam exhibet Schütz. Orell.*

2) civis calamitosi consultum esse vellemus *Ern. Schütz. Grut. Optimi libri omnes, Graev. Orellius denique hanc olim a me defensam scripturam habent.*

3) *cod. Pal.* 2. 3. haecne hominis ad hominem vox est? *quae lectio vulgatae non praeferenda.*

Non dubito, quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi sceleris [1]) afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant; alii timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem; scelus, praeter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata. Liceat esse miseros: quamquam hoc victore esse non possumus. Sed non loquor de nobis; de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces; sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carére. Quando hoc quisquam ex te, Caesar, audivit, aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi a te contumeliam propulsare? Quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum ius tueretur, et dignitatem tuam? Quid? tu, quum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi vero, Caesar, tua in me maxima merita, tanta certe non viderentur, si me, ut sceleratum, a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de re publica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Caesar, initio, non bellum: non hostile odium, sed civile dissidium; utrisque cupientibus rem publicam salvam, sed partim consiliis, partim

1) *Sic codd. Erf. Col. Pith. Dresd. Egm. quod recepit Graev. pro vulg.* facinoris. *Orellius vocem* sceleris *uncis inclusit.*

studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat paene par; non par fortasse eorum, qui sequebantur; causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset; nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dii adiuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

VII. Sed, ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium [1]) ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramusne, inquis, quum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat; vos tum paruistis, quum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? Minime vero. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est ex senatusconsulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur; statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes [2]) necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse; sed ita quidam agebat [3]), ita rei publicae sanctissimum nomen opponebat, ut, etiam si aliter sentiret, verborum tamen ipso-

1) Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam *Grut. Graev. Ern. Schütz. at Orellius recepit scripturam olim a nobis defensam.*

2) *Omnes libri scripti et excusi sic habent praeter Iunt. Herv. Lamb. Grut. quae habent* communes.

3) aiebat *Graev. Ern.* agebat *Schütz. Orelli.*

rum pondus sustinere non posset. Cessit auctoritati amplissimi viri, vel potius paruit. Una est profectus cum iis, quorum erat una causa; tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius. Nam, si crimen est, ullum [1]) voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere, quam aliquem se, maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium se habere dicebat, fasces certe habebat.

VIII. Sed quoquo modo sese illud habet, haec querela vestra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid si essetis? Caesarine eam tradituri fuissetis, an contra Caesarem retenturi? Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, gravissimis verbis eius consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed iam hoc totum omitto; non tam, ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne Tubero, quod numquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam; in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causae, aliena voluntas conventus [2]) firmi atque magni. Quaero, quid

1) *Sic Graevius et libri optimi.* illum voluisse — — quam aliquem, maluisse, *omisso* se *ante* maluisse *Ern. Schütz. Moeb.* prohibere illum voluisse — obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse. *Orelli, olim Grut.*

2) aliena voluntas, conventus firmi atque magni. *Sic distin-*

facturi fuistis? Quamquam quid facturi fueritis, non dubitem [1]), quum videam, quid feceritis! Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis [2]), summa cum iniuria. Quomodo id tulistis? Acceptae iniuriae querelam ad quem detulistis? Nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti, in societatem belli veneratis. Quod si Caesaris causa in provinciam veniebatis; ad eum profecto exclusi provincia venissetis. Venistis ad Pompeium. Quae est ergo haec apud Caesarem querela, quum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos contra Caesarem bellum gerere? Atque in hoc quidem, vel cum mendacio si vultis, gloriemini [3]) per me licet, vos provinciam fuisse Caesari tradituros, etiamsi a Varo et a quibusdam aliis prohibiti essetis [4]). Ego autem confitebor culpam esse Ligarii, qui vos tantae laudis occasione privaverit.

IX. Sed vide, quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis, quam ego, quamvis ipse probarim [5]), ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem in primis eam virtutem solere laudari. Quae fuit igitur umquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio, an melius patientiam possim dicere. Quotus enim istud quisque

guunt Lamb. Graev. Ern. Schütz. Wolf. Quam olim proposui distinctionem, Heumannus Wolfiusque secuti sunt, recepit Orelli.

1) Quamq. quid facturi fueritis dubitem, q. v. q. feceritis? *Grut. Ern. Schütz. Addunt* non *Graev. Orelli.*

2) *verba* ut perhibetis *quae in codd. aliquot absunt, Lambinus delevit.*

3) *Sic Lambin. Graev. Schütz. Orell. Vulgo* gloriari.

4) si a Varo et a q. a. non prohibiti essetis *cod. Fulv. Ursini. Schütz.*

5) probarem *Ern. Schütz. Orell. nostram scripturam habet Graevius.*

fecisset, ut, a quibus [1]) in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate reiectus, ad eos ipsos rediret? Magni cuiusdam animi, atque eius viri est [2]), quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere. Ut enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent; honos, nobilitas, splendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt; hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod iusto cum imperio ex senatus consulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur, in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus cum iniuria. Quid? quum ista res nihil commovisset eius animum, ad quem veneratis; languidiore, credo, studio in causa fuistis; tantummodo in praesidiis eratis; animi vero a causa abhorrebant. An, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui: sed tum sero. Erat enim amentis, quum aciem videres, pacem cogitare. Omnes [3]), inquam, vincere volebamus: tu certe praecipue, qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses. Quamquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiae ve-

1) partibus *post* quibus *delevit Grut.; auctorit. Palat. omiserunt Graev. Ern. Schütz. recepit Orellius.*

2) *Sic Graevius.* Esset — posset *Ern. Schütz. Graev. secutus est Schütz.*

3) omnes *repetite scribunt Schütz. et Orell. auctore Goerenzio ad Cic. Acad.* 2, 24.

strae, aut Caesarem beneficii sui poeniteret. Nunc quaero, utrum vestras iniurias, an rei publicae persequamini. Si rei publicae: quid de vestra in ea causa perseverantia respondebitis? Si vestras: videte, ne erretis, qui Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis, quum ignoverit suis.

X. Itaque num tibi videor, Caesar, in causa Ligarii occupatus esse? Num de eius facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiae, vel misericordiae tuae. Causas, Caesar, egi multas et quidem [1]) tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe numquam hoc modo, *Ignoscite, iudices; erravit; lapsus est; non putavit; si umquam posthac* ... Ad parentem sic agi solet; ad iudices, *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen.* Dic, te, Caesar, de facto Ligarii iudicem esse: quibus in praesidiis fuerit, quaere. Taceo. Ne haec quidem colligo, quae fortasse valerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus, totus animo et studio tuus [2]). Ad iudicem sic agi solet; sed ego ad parentem loquor: Erravi; temere feci, poenitet; ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto; ut ignoscas, oro; si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti. An sperandi Ligario causa non sit, quum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi? Quamquam neque in hac oratione spes est posita cau-

1) equidem *scripserunt Schütz. et Orellius auctore Goerenzio ad Cic. de Fin.* 2, 9.

2) *Gruterus tacite correxit:* tum etiam totus *etc., quod Ern. Schütz. Moeb. Weiske receperunt, Orellius merito damnavit.*

sae, nec in eorum studiis, qui a te pro Ligario petunt, tui necessarii. Vidi enim et cognovi, quid maxime spectares, quum pro alicuius salute multi laborarent; causas apud te rogantium gratiosiores [1]) esse, quam vultus; neque spectare te, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen, apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces: ab iisque te moveri maxime, quorum iustissimum dolorem videas in petendo.

XI. In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis: sed hoc, quaeso, considera, quod soles. Possum fortissimos viros, Sabinos, tibi probatissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiae ac robur rei publicae proponere. Nosti optime homines, animadverte horum omnium maestitiam et dolorem: huius T. Brocchi, de quo non dubito, quid existimes, lacrimas squaloremque ipsius et filii vides. Quid de fratribus dicam? Noli, Caesar, putare, de unius capite nos agere. Aut tres tibi Ligarii retinendi in civitate sunt, aut tres ex civitate exterminandi. Quodvis exsilium his est optatius, quam patria, quam domus, quam dii penates, uno illo exsulante. Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt; moveant te horum lacrimae, moveat pietas, moveat germanitas; valeat tua vox illa, quae vicit. Te enim dicere audiebamus, nos, omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te

1) graviores — vultus *Bruti coniect. Ernesti secutus est.* graviores — preces *Heum. Schütz. Moeb. Nostram habet Orelli.*

omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Caesetium, L. Corfidium [1]), hosce omnes equites Romanos, qui adsunt veste mutata; non solum notos tibi, verum etiam probatos viros, tecum fuisse [2])? Atque his [3]) irascebamur, hos requirebamus, his nonnulli etiam minabantur. Conserva igitur tuis suos: ut, quemadmodum cetera, quae dicta sunt a te, sic hoc verissimum reperiatur.

XII. Quod si penitus perspicere posses concordiam Ligariorum: omnes fratres tecum iudicares fuisse. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis est, qui horum consensum conspirantem et paene conflatum, in hac prope aequalitate fraterna, non noverit? qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse, quam, ut hi fratres diversas sententias fortunasque sequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt; tempestate abreptus est unus; qui, si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen salvos esse voluisti. Sed ierit ad bellum; discesserit non a te solum, verum etiam a fratribus. Hi te orant tui. Equidem, quum tuis omnibus negotiis interessem, memoria teneo, qualis T. Ligarius quaestor

1) *Nomen* L. Corfidii *tolli ex hac oratione voluit Cicero, monitus ab Attico* (*ad* Att. XIII. 44.) *quod ille tum iam mortuus esset, quum illa oratio dicta esset. In editionibus ante Gruterum est* L. Cornificium.

2) tecum fuisse? *e nonnullis codic. Grut. post Graev. Ern. Schütz. Ante Gruterum* qui tecum fuerunt? *editt. omnes.* probatos viros? Tecum fuerunt. *Orellius e coniectura excudi curavit.*

3) atque his *Graev. Ern. Schütz. Orell.* atque his maxime *e paucis codd. Heum. Moeb.*

urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam. Sed parum est, me hoc meminisse; spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te, aliquid de huius illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud, (neque enim haec divinabat) nisi ut tu eum studiosum [1]) et bonum virum iudicares, nunc a te supplex fratris salutem petit, quam, huius admonitus officio, quum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos, non solum sibi ipsos [2]), neque his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam rei publicae condonaveris. Fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo M. Marcello fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis et huic omni frequentiae probatissimis fratribus. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cuius voluntatem carissimam semper habuisti; et, si ille dies tibi gloriosissimus, populo Romano gratissimus fuit: noli, obsecro, dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere. Nihil est enim tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis; nec natura tua melius, quam ut velis servare [3]) quam plurimos. Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certe natura breviorem.

1) *Graev. Ern. Schütz.* studiosum tui. *Orell.* tui studiosum.

2) ipsis *coniecit Ern. Habet Schütz. Moeb. Orelli.*

3) *Sic Graev. e Mss. Erf. Colon. item Quintil.* IX. 4, 107. *Secutus est Ern. Vulgo* conservare.

Quare quum utilius esse arbitrer, te ipsum, quan me, aut quemquam, loqui tecum, finem iam fac: tantum te ipsum admonebo, si illi absenti salutem deris, praesentibus his omnibus te daturum.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO

REGE DEIOTARO.

ORATIO
PRO
REGE DEIOTARO.

SUMMARIUM.

Deiotarus nobilis Galatiae seu Gallograeciae tetrarches, in bellis, quae Romani in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria gerebant, fidelissimus imperatorum Romanorum socius fuit, eosque opibus et copiis adiuvit. Itaque de eo Sulla, Murena, Servilius, Lucullus, saepe honorifice in Senatu praedicaverunt, Pompeius autem eum populi Romani amicum et socium fidelissimum ac benivolentissimum iudicavit. Quapropter a Pompeio regno Armeniae minoris donatus et a Senatu Rex est appellatus. Exorto inter Caesarem et Pompeium bello civili Pompeio auxilia misit, (*Caes. de B. C. III.* 4.) ipse etiam praelio Pharsalico interfuit. Devicto Pompeio se in regnum suum recepit. Interea Pharnaces Mithridatis filius, qui partem tantum regni paterni, Bosporum Cimmerium a Pompeio acceperat, cupiens recuperare ceteras illius regni partes, Deiotarum absentem, item Ariobarzanem aggressus est, ut illi Armeniam minorem, huic Cappadociam eriperet. Itaque Deiotarus (*de bello Alexandr. c.* 33.) dum Caesar in Aegypto res gerebat, ad Domitium Calvinum, cui Caesar Asiam finitimasque provincias administrandas transdiderat, venit oratum, ne Armeniam minorem regnum suum, neve Cappadociam regnum Ario-

barzanis possideri vastarique pateretur a Pharnace; quo malo nisi liberaretur, imperata se facere, pecuniamque promissam Caesari non posse persolvere. Itaque Domitius nuntios confestim ad Pharnacem misit; Armenia Cappadociaque decederet; legati responsum referunt a Pharnace, Cappadocia se decessisse; Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine iure obtinere deberet. Postquam aliquantum tempus de pace actum est, Domitius adhibitis etiam Deiotari legionibus cum Pharnace conflixit, sed parum feliciter rem gessit, et Pontica legione paene tota amissa, magna parte Deiotari militum interfecta, reliquiis exercitus dissipati collectis per Cappadociam se in Asiam recepit. Caesar post bellum Alexandrinum in Syriam ex Aegypto venit. Inde quum propius Pontum finesque Gallograeciae accessisset, rex Deiotarus (*de bello Alexandr. c.* 67.) depositis regiis insignibus, neque tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, supplex ad Caesarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quod in ea parte positus terrarum, quae nulla praesidia Caesaris habuisset, excitus imperiis in Pompeii castris fuisset; neque enim se iudicem debuisse esse controversiarum populi Romani, sed parere praesentibus imperiis. Contra quem Caesar quum plurima sua commemorasset officia, quae consul ei decretis publicis tribuisset; quumque defensionem eius nullam posse excusationem eius imprudentiae recipere coarguisset, quod homo tantae prudentiae ac diligentiae scire potuisset, quis urbem Italiamque teneret, ubi senatus populusque Romanus, ubi res publica esset, quis deinde post L. Lentulum C. Marcellum consul esset: tamen se concedere id factum superioribus beneficiis, veteri hospitio atque amicitiae, dignitati aetatique hominis, precibus eorum qui frequentes concurrissent hospites atque amici, ad deprecandum; de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit; regium vestitum ei restituit. Legionem autem eam, quam ex genere civium suorum Deiotarus armatura disciplinaque Romana constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere iussit. Postea vero bello Pontico confecto, Caesar Armeniam maiorem, et par-

tem Gallograeciae a Deiotaro occupatam ei ademit, et hanc quidem Mithridati Pergameno, quem regem Bospori constituerat, attribuit. Reliquam Gallograeciae partem, quam Deiotarus iure paterno possederat, nomenque regium ei concessit.

A. U. C. 708. postquam Caesar ex Hispania Romam redierat, Castor Deiotari ex filia quae Saocondario nupserat, nepos, Deiotarum apud Caesarem accusavit, eum, quum Caesarem hospitio accepisset, ei insidias fecisse, eumque domi suae interficere voluisse. Huic accusationi ut socius accederet, Castor Phidippum avi Deiotari servum medicum praemiis corruptum impulit. Legati Deiotari causam ad Ciceronem detulerunt; qui regem antiquum hospitem et amicum intra parietes domesticos coram Caesare hac oratione defendit.

In exordio Cicero ait se in hac causa compluribus de causis initio dicendi vehementer conturbari. Primum quod sibi pro capite fortunisque regis, et eius quidem regis dicendum sit, quem antea solitus sit cuncto cum senatu ornare. Deinde accusatorum alterius (Castoris) crudelitate, alterius (Phidippi) indignitate commoveri. Tum hoc etiam se interdum perturbare, quod de facinore contra vitam Caesaris apud eum ipsum iudicem dicendum sit, in quo tamen Caesaris humanitate se levari metumque minui ostendit. Denique se loci ipsius insolentia moveri, quod non in foro sed intra domesticos parietes dicturus sit. c. 1. 2.

Iam antequam de accusatione ipsa dicat, pauca se de spe accusatorum dicturum denuntiat. Nimirum eos, quum Deiotaro Caesarem olim iratum fuisse, illumque ab eo quibusdam incommodis ac detrimentis affectum esse meminissent, fore sperasse ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Itaque Cicero Caesarem orat et obsecrat, ut eos qui Deiotaro bene cupiant metu liberet, ne residere in se ullam partem iracundiae suspicentur. Simul Deiotarum, quod a Pompeii partibus steterit, excusat, eumque post praelium Pharsalicum omnibus Caesaris utilitatibus paruisse ostendit. c. 3—5.

Quod igitur Deiotarus domi suae Caesarem interficere voluisse arguatur, Cicero ostendit tam atrox facinus nullo modo in Deiotari prudentiam, et probitatem cadere, totumque crimen ab accusatoribus non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem confingi. c. 6. 7. Deinde Cicero refutat id quod accusatores dixerant Deiotarum exercitum contra Caesarem comparasse, c. 8. et alieno ab eo animo semper in speculis fuisse c. 9. in quo simul graviter in Castoris inhumanitatem atque immanitatem in hac avi accusatione proditam invehitur. c. 10. 11. Postremo hoc maledictum diluit, quod accusator obiecerat Blesamium ad Deiotarum scribere solitum, Caesarem in invidia esse, tyrannum existimari, statua eius inter reges posita animos hominum vehementer offensos esse, plaudi ei non solere; ostenditque ea omnia ex urbanis malivolorum sermunculis esse collecta. c. 12.

In peroratione id agit, ut plane Deiotarum Caesari reconciliet, virtutes regis collaudando, negandoque eum Caesari succensere, denique huius clementiam et mansuetudinem implorando. c. 13—15.

Habita est oratio mense circiter Octobri vel Novembri A. U. C. 708. eamque Cicero conscriptam mense Decembri misit ad Dolabellam *(Epp. ad. Fam. IX. 12.)* quem rogat, ut eam sic legat ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed se hospiti veteri et amico Deiotaro munusculum mittere voluisse levidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius soleant esse munera.

Ceterum iam antea M. Brutus Nicaeae Deiotarum coram Caesare defenderat, et valde vehementer ac libere dixerat. *(Epp. ad. Att. XIV. 1.)*

ORATIO
PRO
REGE DEIOTARO.

Quum in omnibus causis gravioribus, C. Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel aetas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisque regis; quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo: tamen est ita inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebam, pro perpetuis eius in nostram rem publicam meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelem Castorem! ne dicam sceleratum et impium! qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat, commendationemque ineuntis aetatis ab impietate et scelere [1]) duxerit: avi

1) abs scelere *Orelli e Pith. et Oxx.* et scelere *Graev. Ern. Schütz.*

servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem, dominum accusantis, et dominum absentem, et dominum amicissimum nostrae rei publicae, quum os videbam, quum verba audiebam: non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. Nam, quum more maiorum de servo in dominum, ne tormentis quidem, quaeri liceat; in qua quaestione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito: exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset [1]) solutus.

II. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum: quod tamen, quum te penitus recognovi, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, grave est; nemo enim fere est, qui sui periculi iudex, non sibi se aequiorem, quam reo praebeat; sed tua, C. Caesar, praestans singularisque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo, quid de te ceteros velis iudicare. Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta nulla umquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent; in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco; te unum intueor; ad te unum omnis mea spectat oratio. Quae mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt, ad motum animi et ad omnem impetum dicendi contentionemque

1) *Sic Graev. Orell. Ernestii coniecturam* accusaret *receperunt Schütz. Weiske aliique.*

leviora. Hanc enim, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cuius omnem aetatem in populi Romani bellis consumptam esse meminisset? Spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum. Sic, quum et deorum immortalium, et populi Romani, et senatus beneficia in regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quae quoniam angustiora parietes faciunt, actioque causae maxime debilitatur loco: tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

III. Sed antequam de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam. Qui quum videantur neque ingenio, neque usu atque exercitatione rerum [1]) valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe et cogitatione venerunt. Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant nescii; affectum illum quibusdam incommodis et detrimentis [2]), propter offensionem animi tui, meminerant; teque quum huic iratum, tum sibi amicum cognoverant: quumque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem, et constantiam, et clementiam tuam, libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram te istam

1) *Sic Graev. Ern. Orelli; at Schütz. coniecturam Ern. recepit* usu rerum atque exercitatione.

2) *Lenioribus verbis in hac re utitur. Alibi de eadem invidiosius lib. II. de divinat. c. 37.*

oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis [1]), neque in praeliis, quam in promissis et fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti; te eius dii penates acceperunt; te amicum et placatum Deiotari regis arae focique viderunt. Quum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles. Nemo umquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? Numquam tu illum accusavisti, ut hostem, sed ut amicum officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuisset, quam in tuam. Cui tamen ipsi rei veniam te daturum fuisse dicebas, si quum [2]) auxilia Pompeio, etiam filium misisset, ipse excusatione aetatis usus esset. Ita quum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiae culpam relinquebas. Itaque non solum in eum non animadvertisti, sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, regem reliquisti.

IV. Neque enim ille [3]) odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media re publica nati, semperque versati. Quum audiret, senatus consentientis auctoritate arma sumpta; consulibus,

1) *Sic Priscianus* 3, 1. *omnes codd. Orell.* non tam in bellis, et in proeliis *Graev. Ern.* non in bellis, et in praeliis *Schütz.*

2) *Sic codd. omnes et Muret. V. L.* 2, 16. *Orelli* si tantum aux. Pomp. vel si etiam filium mis. i. e. aetatis usus esset. *Graev. Ern. Schütz. ex uno cod. Col.*

3) *Unus Schütz.* illo odio tui progr. *i. e.* eo.

praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus [1]) rem publicam defendendam datam; movebatur animo, et vir huic imperio amicissimus de salute populi Romani extimescebat, in qua etiam suam inclusam [2]) videbat. In summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, consules ex Italia profugisse, omnesque consulares, (sic enim nuntiabatur,) cunctum senatum, totam Italiam esse effusam. Talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae quum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad eum legati literaeque venerunt. Ignosce, ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus: in quem quum dii atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima et maxima. Neque enim, si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, iccirco Cn. Pompeii memoriam amisimus. Quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Romani, quanti senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus.

V. Ad eum igitur rex Deiotarus venit, hoc misero

1) *Sic Manut. Olivet. Ern. Schütz. Orell.* novis imperatoribus *Graev. e plerisque codd.*

2) *Omnes* inclusam esse. *Ern. primus omisit* esse, *quod item Orelli recte omisisse videtur, propter loci, ubi posita est ea vox in Lambin.*, esse inclusam videbat, *varietatem.*

fatalique bello, quem antea iustis hostilibusque bellis adiuverat, quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus; et venit vel rogatus, ut amicus; vel arcessitus, ut socius; vel evocatus, ut is, qui senatui parere didicisset: postremo venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad victoriae societatem. Itaque, Pharsalico praelio facto, a Pompeio discessit; spem infinitam persequi noluit; vel officio, si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit; domum se contulit; teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit [1]). Ille exercitum Cn. Domitii, amplissimi viri, suis tectis et copiis sustentavit; ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum et probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit; ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum utereris; ille corpus suum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hostem esse duxit suum. Quae quidem a te in eam partem accepta sunt, C. Caesar, ut eum amplissimo regis honore et nomine [2]) affeceris.

VI. Is igitur, non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suae interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profecto non potes. Ut enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium, necare hospitem; cuius tantae importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere; cuius tantae ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere; cuius tam

1) *Lambin. correxit* patuit.

2) *Graev.* amplissimo honore et regis nomine.

inhumani et ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eo [1]) tyrannum inveniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? Quonam ille modo — quum regno, quum domo, quum coniuge, quum carissimo filio distractus esset — tanto scelere non modo perfecto sed etiam cogitato? [2]) At, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior [3])? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum praesentis exitii, nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo et ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem! Quum, inquit, in castellum Luceium venisses [4]), et domum regis, hospitis tui, devertisses, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. Huc te e balneo, priusquam accumberes, ducere vole-

1) *Sic Graev. Ern. e Ms. Colon. Schütz. Orell. vulgo* in eum.

2) Quonam ille modo, cum regno, cum d. cum c. cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere etc. *hanc vulgatam lectionem omnes, etiam Orellius retinuerunt.*

3) *Sic Ern. qui tamen ea vocabula uncis inclusit; Schütz. Orell.* rectior *Graev.*

4) voluisses *malebat Puteanus.*

bat. Erant enim armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset.

VII. Ego mehercule, C. Caesar, initio, quum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornavit [1])? finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? Nihil de veneno. At id fieri potuit primo occultius in potione, vel in cibo [2]); deinde etiam impunius fit, quod quum est factum, negari potest. Si palam te interemisset: omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset; si veneno: Iovis illius quidem hospitalis numen numquam celare potuisset, homines fortasse celavisset. Quod igitur et occultius conari, et efficere cautius potuit; id tibi [3]) et medico callido et servo, ut putabat, fideli, non credidit: de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit? At quam festive crimen contexitur? Tua te,

1) *Olim edebatur:* ab ipso adolescente existimavi esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornabit. *Ego Mureti correctionem secutus sum Var. lect.* II. 16, *et script. Codd. reg. Oxx. a Schützio et Orellio receptam, quamquam aptius interrogandi signum post* subornavit *poni puto, quam semicolon, quod Schütz. et Orell. posuerunt.*

2) in potione vel in cibo *spurium et e glossa natum videbatur Ernestio, saltem illud* in cibo. *Idem iam olim Patricio visum erat; qui etiam verba* fit, quod quum est factum negari potest *e glossemate addita putabat. Itaque brevius hoc modo legendum censuit:* At id fieri potuit primo occultius, deinde etiam impunius. *Alio modo sic legi posse opinabatur:* deinde etiam impunius: etenim impunius fit, quod, quum est factum, negari potest. *At non opus est ulla coniectura.*

3) *Post* id tibi *excidisse putat Schützius* Phidippe.

inquit, eadem, quae semper, fortuna servavit. Negavisti tum te inspicere velle. Quid postea? An Deiotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? Nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, quum cenavisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. Horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? Quum in convivio comiter et iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus [1]) in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia; quae Africanus, inspectante exercitu, accepit. Quod quum praesens Deiotarus, regio et animo et more, fecisset; tu in cubiculum discessisti. Obsecro, Caesar, repete temporis illius memoriam! pone illum ante oculos diem! vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare! Num qua trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi et sanctissimi disciplina? Quid igitur causae excogitari potest, cur te lautum voluerit, cenatum noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, ut, quum in castellum Luceium ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutandi: sed tamen acta [2]) res criminose est. Quum, inquit, vomere te post cenam velle dixisses, in balneum te ducere coeperunt. Ibi enim erant insidiae. At te eadem tua fortuna servavit; in cubiculum te ire malle dixisti. Dii te perduint, fugitive! ita non modo nequam et improbus, sed fatuus et

1) *Ant. Bendinellus, Robortellus aliique correxerunt coll. Liv. Epit. lib.* 57. Antiochus *quod recepit Schütz.*

2) *Unus Schütz.* dicta.

amens es [1]). Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum transferri non possent? Habes crimina insidiarum. Nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid tum [2])? Ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret, Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C. Caesarem, cui fecisset insidias? praesertim quum is unus esset, qui posset de absente se vindicare [3])? Et fratres [4]) meos, inquit, quod erant conscii, in vincula coniecit. Quum igitur eos vinciret, quos secum habebat; te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire [5]) dicis?

VIII. Reliqua pars accusationis duplex fuit: una, regem semper in speculis fuisse, quum a te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Numquam eas copias rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo Romano posset; sed quibus fines suos ab excursionibus hostium et latrociniis tueretur, et imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest. At misit ad Caecilium [6]), nescio quem: sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula

1) *Sic L. Grut. Ern. Schütz. Orell. Graev. e cod. Erf. recepit:* et improbus et fatuus, sed et amens es; *quod recte improbavit Heum.*

2) *Heumanni coniecturam* Quid? *omisso* tum *unus recepit Schütz.*

3) *Sic codd. plerique et editt. Graev. Ern.* se indicare *Schütz. et Orell. Moebius* de se vind. *qui male refert* se *ad Phidippum.*

4) *Schütz. malam coniecturam Heumanni* at *pro* et *recepit.*

5) *Ernestii coniecturam* scisse *pro* scire, *recepit temere Schütz.*

6) *Sic Abramius legendum esse vidit. Idem Graev. recepit e cod. Erf. Est Caecilius Bassus. Vulgo* Caelium.

coniecit. Non quaero, quam verisimile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret; aut eos, quos misisset, non paruisse; aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse [1]). Sed tamen quum ad Caecilium mittebat, utrum causam illam victam esse nesciebat, an Caecilium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines novit, vel quia nosset, vel quia non nosset, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse [2]). Veteres, credo, Caesar; nihil ad tuum equitatum; sed misit ex iis, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero servum iudicatum. Non arbitror; non audivi. Sed in eo, etiam si accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.

IX. Alieno autem a te animo fuit. Quomodo? Speravit, credo, difficiles tibi Alexandria fore exitus, propter regionis naturam et fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit; ei, quem Asiae praefeceras, nulla in re defuit; tibi victori, non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem praesto fuit. Secutum est bellum Africanum. Graves de te rumores sparsi: qui etiam furiosum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum erga te [3]) rex animo fuit? qui auctionatus sit, seseque exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare. At eo, inquit, tempore ipso Nicaeam Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. Ita-

1) *Orellius* fuisse *uncis inclusit.*

2) *Addidit* tibi *scripturam Iuntinae et coniecturam Heumanni, unus Schütz. temere.*

3) erga te *abest aliquot Mss. ut Erf. Omiserunt Lamb. Graev. Ernestio videbatur scribendum:* Quo tum ergo rex *vel* q. t. ergo in te rex.

que quum esset ei nuntiatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri: de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum:

Pereant amici, dum una inimici intercidant;

quod ille, si esset tibi inimicissimus, numquam tamen dixisset. Ipse enim mansuetus; versus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? Tibi porro inimicus cur esset, a quo quum vel interfici, belli lege, potuisset, regem et se et filium suum constitutos esse meminisset?

X. Quid deinde? furcifer quo progreditur? ait, hac laetitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit umquam? Omnes sunt in illo rege regiae virtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror; sed praecipue singularis et admiranda frugalitas. Etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege; fortem, iustum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hae sunt regiae laudes; illa privata est. Ut volet, quisque accipiat; ego tamen frugalitatem, id est, modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Haec in illo est ab ineunte aetate, tum a cuncta Asia, tum a magistratibus, legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta et cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga rem publicam nostram ad hoc regium nomen ascendit: sed tamen quidquid a bellis populi Romani vacabat, cum ho-

minibus nostris consuetudines, amicitias, res rationesque iungebat; ut non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola et pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil umquam, nisi severissime et gravissime, fecerit; is ea existimatione, eaque aetate saltavit? Imitari potius, Castor, avi tui mores, disciplinamque debebas, quam optimo et clarissimo viro fugitivi ore maledicere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris pudicitiaeque exempla peterentur: tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conveniret. Quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi [1]), sed bene ut armis, optime ut equis uteretur; ea tamen illum cuncta iam, aetate exacta, defecerant. Itaque Deiotarum quum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, quum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se iactare? quam ostentare? quam nemini in illa causa studio et cupiditate concedere? quum vero exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper [2]), post Pharsalicum autem praelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod et ipse ardebat studio

1) *Patricius putabat vel omittenda verba* non saltandi, sed, *vel legendum esse* non ut saltaret, sed —

2) *Sic Orellius cum Oxx. Wald. ed. et L. Editio Crat. Iunt. Grut. Graev. Ern. inserunt* fui *post* semper, *quod est e glossemate.* semper fuissem — suasor essem *Ernestii coniecturam recepit Schütz.*

ipsius[1]) belli, et patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed etiam accusandi licentiam: calamitosus Deiotarus, qui[2]) ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti?

XI. Sint sane inimicitiae, quae esse non debebant. Rex enim Deiotarus vestram familiam, abiectam et obscuram, e tenebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem ante, qui esset, quam cuius gener esset, audivit? Sed quamvis ingrate et impie necessitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere. Esto: concedatur haec quoque acerbitatis et odii magnitudo. Adeone, ut[3]) omnia vitae salutisque communis, atque etiam humanitatis iura violentur? Servum sollicitare verbis, spe, promissisque corrumpere, abducere[4]) domum; contra dominum armare: hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familiis bellum nefarium indicere. Nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata: nulli parietes nostram salutem, nullae leges, nulla iura custodient. Ubi enim id, quod intus est atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare: fit in domina-

1) *Ernestio placebat* istius *vel* illius.

2) *Orellius Crat. Steph. edit. secutus omisit* et *ante voces* ab eo, *quam particulam habent omnes reliqui.*

3) *Grut. Graev. Ern.* ut etiam. *Omittunt Oxx.* etiam, *multae editiones, Schütz.*

4) *Vulgo erat* adduceres domum. *At Ern. e Ms. Dresd. ed. Waldarf. reposuit* abducere. *Graevius e Ms. Fr. et ed. Med.* abducere domo. *Secutus est Orell. Ern.*

tu servitus, in servitute dominatus. O tempora, o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus, quum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, et crimina in dominum delaturum se esse dixisset: prehendi hominem iussit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit, etsi inique Castorem cum Domitio comparo; — sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abduxisti; ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti; ille adiutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti. At semel iste est corruptus a vobis? Nonne quum esset productus [1]), et quum tecum fuisset, refugit ad legatos? Nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? Nonne audiente hoc Ser. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium cenabat, et hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est? Quae est ista tam impotens [2]), tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Iccirco in hanc urbem venisti, ut huius urbis iura et exempla corrumperes domesticaque [3]) immanitate nostrae civitatis humanitatem inquinares?

XII. At quam acute collecta crimina! Blesamius, inquit, (eius enim nomine, optimi viri [3]), nec tibi ignoti, maledicebat tibi,) ad regem scribere solebat, te in invidia esse; tyrannum existimari; statua inter

1) perductus *e Mss. edidit Lamb. Idem voc.* testis *quod in edd. sequebatur auctoritate codd. Mss. delevit.*

2) *Sic edit. Steph. Oxx. Lamb.* 1584. impudens *Grut. Graev. Ern. Schütz. Orelli.*

3) *Sic Oxx. aliique codd. et Prisc. l.* 18. *Reliqui omnes* hominis

reges posita animos hominum vehementer offensos; plaudi tibi non solere. Non intelligis, Caesar, ex urbanis malivolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum Caesarem scriberet? Multorum enim civium capita viderat; multos iussu Caesaris vexatos, verberatos, necatos; multas afflictas et eversas domos; armatis militibus refertum forum. Quae semper in civili victoria sensimus, ea te victore non vidimus. Solus, solus [1]), inquam, es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo, nisi armatus. Et quem nos liberi, in summa populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus: is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, quum tam multas videat? Valde enim [2]) invidendum est eius statuis, cuius tropaeis non invidemus [3]). Nam, si locus affert invidiam, nullus locus est, ad statuam quidem, Rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam a te est, et nonnumquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est; et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

XIII. Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam causae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro reconciliet oratio mea. Non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Caesar; quid

1) *Sic Lamb.; reliqui omittunt alterum* solus.

2) *Patricius coni.* Valde nimirum.

3) *Sic habent edd. vett. aliquot probante Ernestio. Vulg.* invidimus.

enim retineat per te, meminit, non quid amiserit; neque se a te multatum arbitratur; sed, quum existimaret, multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusavit. Etenim si Antiochus Magnus ille, rex Asiae, quum posteaquam a Scipione devictus, Tauro tenus regnare iussus esset, omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus: benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur: potest multo facilius se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinuerat [1]), hic erroris. Omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, quum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se senatus [2]) imminutum putat. Magno animo et erecto est, nec umquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem. Multa se arbitratur et peperisse ante factis, et habere in animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere. Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? Ab omnibus enim iis [3]) ornatus est, qui, postquam in castris esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserunt; senatus vero iudicia de illo tam multa, tamque honorifica, quae publicis populi Romani literis monumentisque consignata sunt, quae umquam vetustas obruet, aut quae tanta [4]) delebit oblivio?

1) subierat *codd. Lambiniani plerique.*
2) *Ernestius malebat* nullum senatus de se iudicium.
3) his *Grut. Ern. Schütz.* is *Orelli e Ll. cod. et Oxx.*
4) quae tandem *coni. Patricius.*

Quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, constantia? quae omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt, hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum, contentam virtutem esse.

XIV. Haec ille reputans, et dies noctesque cogitans [1]), non modo tibi non succenset, (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens,) verum omnem tranquillitatem et quietem senectutis acceptam refert clementiae tuae. Quo quidem animo quum antea fuit, tum non dubito, quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit, ab omnique sollicitudine abstraxerit. Iubes enim eum bene sperare, et bono esse animo: quod scio, te non frustra scribere solere. Memini enim iisdem fere verbis ad me te scribere, meque tuis literis bene sperare non frustra esse iussum. Laboro equidem regis Deiotari causa, quocum mihi amicitiam res publica conciliavit, hospitium voluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna eius officia et [2]) in me et in exercitum meum effecerunt: sed quum de illo laboro, tum de multis amplissimis viris, quibus semel [2]) ignotum a te esse oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in animis hominum sollicitudinem sempiternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat eorum, qui semel a te sint liberati timore.

1) *Sic pro vulg.* dies et noctes *scribendum esse Patricius censuit. Idem Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 73. auctoritate Mss. confirmavit. Sic etiam Orelli.*

2) et *restituit Orelli e cod. Dresd. Ox. ed. Steph.*

XV. Non debeo, C. Caesar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo [1]) dicendo misericordiam tuam commovere possim. Nihil opus est. Occurrere ipsa solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare, quod oculis non potes. Dabis profecto misericordiae, quod iracundiae denegavisti [2]). Multa sunt tuae clementiae monumenta: sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. Quae si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit: sociorum vero regum et amicorum sanctissimum. Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum vero, et a te confirmatum, posteris etiam suis tradituros confido. Corpora vero sua, pro salute regum suorum hi legati tibi regii tradunt, Hieras, et Blesamius, et Antigonus, tibi nobisque omnibus iam diu noti, eademque fide et virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus, tum regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. Exquire de Blesamio, numquid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, et criminibus illis pro rege se supponit reum; memoriam tuam implorat, qua vales plurimum; negat umquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse; in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos prosecutum; quum e balneo exisses, tecum se fuisse, quum illa munera inspexisses cenatus, quum in cubiculo recubuis-

1) ecquonam modo *malebat Gulielmus.*

2) negavisti *Grut. Graev. Ern. Schütz.* denegasti *e cod. Dresd. Ox. Erf. ex edit. Steph.*

ses; eandemque assiduitatem tibi se praebuisse postridie. Quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suum iudices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est; alterum conservare, clementiae tuae.

N O T A E

A D

ORATIONEM PRO CN. PLANCIO.

Cap. 3. *vel quod multo etiam minus est*] Errant Orellius et Wolfius, qui putant, *vel* hoc loco id esse, quod: *sogar: etiam;* quasi etiam scribere potuisset, *quod vel multo minus;* at tum *quod* ad superius *id* referendum esset. Significat hoc loco: *oder.*

Cap. 4. *quid cuique ipsi debeant*] Valde verisimile est, *cuique* glossam esse alterius germanae lectionis: *denique,* quod saepe significat: *höchstens.* p. Rosc. Amer. 37. *nonne satis fuit, hic gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? War es nicht genug, zu danken? höchstens, wenn man sehr gütig sein wollte, eine Ehre anzuthun?* Verr. 4, 23. de Epicrate, *qui, antequam in ius aditum esset, antequam denique mentio controversiae facta esset, discessisset. weil er, ehe der Process angegangen, ja gar, ehe irgend eine Erwähnung der Streitigkeit geschehen war.* pro Quinct. 16. 19. 21. Verr. 4, 51. 69. Ut sensus hic esse videatur, quoniam *denique* semper significat, *ad summum, omnino, höchstens,* ut quodammodo vim enumerandi retineat; quum multa alia prius v. c. quid cuique respublica debeat, considerare debeant, quid *denique* ipsi debeant, considerant i. e. *sie fragen nur höchstens, was sie für ihre Personen* etc.

Cap. 5. *Qui si tecum congrediatur et, si una voce loqui possit, haec dicat*] Merito Garatonius, quoniam apodosis est *respondebis* etc. pro *haec dicat*, cod. Bav. auctore *ac dicat* scribi vult; Orellius autem temere putat, *et*, *ac* male se habere, male sic concinnari orationem, quod verba *si* — *possit* dicendi contineant conditionem. Verum in eo falsus est; *si congrediatur* atque *si una voce* — *ac dicat* utraque enuntiatio continet conditionem atque *et* coniungit haec duo membra prothesis in condionali enuntiatione. Vix latinum hoc diceres: *qui si tecum congred. ac si una* — *dicat:* nam *et* coniungit ea, quae necessario coniuncta sunt; *que* encliticum, quae fortuito coniuncta sunt, *ac*, quod contractum est ex *atque*, adversativas potius coniungit sententias. Senatus populusque Romanus, divinarum humanarumque rerum. de fin. 4, 22. *leges et instituta ac mores civitat. perscripsimus.* Leges et instituta arctius cohaerent, singularem quasi partem constituunt, „mores" vero adiungitur per *atque*. Acad. 2, 42. *uno animo patres atque plebes Volscos et Aequos vicere.* quod hic *illi* et *haec* per se et seorsim e toto contextu spectari debebant. Ramshorn Gr. §. 516.

semper se dicet rogari voluisse, semper sibi supplicari] *se* post *supplicari*, quod est in cod. Bav., non debebat Garatonius putare natum esse ex eo, quod in nonnullis libris post *supplicari* repetitum esset *voluisse*, neque Orellius ex nomine *Seium* ortum esse. Pertinet non ad priora, sed ad sequentem orationem, quae *se* etiam requirit.

et quo plus intererat] Suspicatur temere Orellius, hic plura excidisse, cum Garatonio. Nam cur haec oratio non commoda est et bene cohaeret: *Et cur etiam* — *eo plus* etc.? Cur Orellius coniecit: *et curari me quo plus* etc.?

ego autem] Hoc, quod est in Bav. et Garatonius probavit, reiecit Orellius, quasi non contrapositum locum habeat: *sin* — *reservasti; ego autem* — *revocavi.* Verum *autem* saepe sic in responsionibus ponitur. Ad famil. 4, 14. *Ego autem, si dignitas et, bene de republica sentire* — *obtineo dignitatem meam.* Atque si quis dubitet, quin non is contextus orationis esse possit aliquando, qui admittat post *sin*

adversativam particulam, facile refutabitur loco Liviano 10. c. 20. *Sin collega quid aliud malit; at sibi Lucium Voluminium darent adiutorem.*

idem mihi sunt iudices parati] Garatonius Ernestii coniecturam sequutus pro *iudices* „*ludi*" scribendum esse putat; atque eius exemplum Orellius et reliqui imitati sunt. Verum, quamquam Garatonius cum magna probabilitate demonstrat, quomodo *ludi* in *iudices* abierit, tamen rectius interpretandi rationem quamvis tentandam esse alicuius loci putamus, quam locum ipsum tentemus et aliquid rescindamus aut inseramus. Error omnis ex eo natus est, quod *iudices* ex significatione sumserunt: *Richter*, qui sederent in iudicio, sed significat: *Beurtheiler*, uti est in c. 13. *plurimarum rerum iudex*; et alibi reperitur nimium saepe. Absurda sane cuique scriptori videri debebat vox illa, si illos iudices, adloquente populo, hic cogitarem. At sensus est: *Mögen es Aedilen sein, welche es wollen, ich habe an allen (einem, wie dem andern) fertige, geschickte Beurtheiler.* sc. iudicare mihi possunt de rebus iis, quarum cura ipsis mandata est.

Cap. 6. *ut fiat*] Haec propter vim oppositionis, et quod Bav. et Erf. optimi codd. habent, non uncis uti Garat. et Orell. incluserim.

si dicerem] *sic dicere*, quod hic Orellius et Wolfius legendum esse putant, non hic scribi potest.

Nam quid assequerere, si illa extrema defensione uterer, etc.] Haec enuntiatio neutiquam cum coniunctione caussali sed consequutiva coniungenda erat et Garatonius atque Orellius plurimorum optimorumque codicum, Erfurtensis, Bavarici, edit. Romanae Venet. lectionem: *nunc* praeferre debebant alteri scripturae *nam.* Orator indignationem Laterensis, quod populus in magistratibus creandis non dignitatem spectet, atque se Plancio propterea praetulerit, ita effert, ut loquentem inducat ipsum: *Cur iste potius, quam ego aedilis factus est?* respondet orator: *vel nescio, vel non dico vel denique, quod mihi gravissimum esset, si dicerem, sed ingenue tamen deberem dicere: non recte.* Eam senten-

tiam profecto non excipere possunt verba: *nam quid assequerere.* Sic enim sententiae inter se cohaerent. *Si tu Laterensis quaeris,* dicit orator, *nonne ego dignior? cur iste potius aedilis factus?* respondeo: *nescio, aut non dico aut non merito factus est Plancius aedilis. Quid igitur ex ea defensione, si dico, non recte, sive,* (quibus verbis paullo post utitur) *populus fecit, quod voluit, non quod debuit, lucri facies?* Itaque hac interrogatione significat, si Laterensis defendendi caussa dicat, Plancius non recte factus est, ea defensione nihil effici, adeo ut dicere deberet: *nunc quid assequerere.* Quodsi v. c. ante dixisset: Non faciam quod optas, ut dicam, Plancius non fieri debebat aedilis, tum sequi poterat: *nam quid assequerere.* Quum igitur hoc modo locus explicandus sit, non alio, haud dubie Orellius alteram scripturam *nam* praetulit, quod longe alio modo eum interpretatus est. Putat enim sententias sic inter se cohaerere: si dicam, non recte, tu nihil proficies, nam ultima defensione utar: populus fecit, quod voluit, non quod debuit. At si dico: *nam quid assequerere, si — utar,* non dico, *quid assequerere, nam utar,* deinde autem verba *si — utar* sensu hoc sumenda essent: *si dicerem ad populum defendendum, fecit, quod voluit;* sed sic non poterat neque volebat populum defendere, quem paullo ante in comitiis temere agere dixerat, neque vero id omnino pertinet ad populum, sed ad Laterensem. Quaerit, quid tu Laterensis lucri facies, si hac defensione utar: populus non recte fecit Plancium aedilem, non fecit, quod debuit? Repetit igitur his ipsis verbis: *populus, quod voluit, fecit,* priorem sententiam: *non recte,* quaerens, quid iuvetur Laterensis hac populi reprehensione.

Cap. 8. *aliquid sed certe de C. Mario*] Garatonius defendit scripturam optimorum codd. *aliquid sed certe de C. M.* atque Orellius prorsus locum ita describendum putat, uti a Garatonio constitutus est, modo id sibi persuadere non potest, eam Metathesin particulae *sed* postpositivam a scriptoribus prosaicis usurpari. Verum id haud dubie non ignorabat Garatonius; at omnis offensio facile tollitur, si paul-

lisper in recitando loco post *aliquid* vocem inhibueris, ita ut coniunctim pronuntiatum: *sed certe, aliquid* autem potius cum: *de C. Mario* cohaerere videatur. Adeo ut locus sic distinguendus sit: *aliquid — sed certe — de C. Mario. So wirst du, du magst wollen oder nicht, vielleicht gar von mir etwas, etwas, aber zuverlässig, vom Marius hören müssen.*

Cap. 10. *lacrymis, votis ominibusque*] Et cod. Erf. et Bav., optimae notae libri, habent hoc ordine voces: *votis, ominibus, lacrymisque* praeterquam quod Bav. falso exhibet, *ominibusque lacrymis.* Quapropter valde miror, quod Orellius ordinem mutandum esse putavit, atque scripsit: *lacrymis, votis, ominibusque;* certe caussam, propter quam ordinem illum invertendum esse existimat, probare, seu potius, perspicere non possum. Dicit enim: lacrymas primum movebat dolor ob Ciceronis fugam, has vero statim, desiderio ac spe reditus, vota ominaque excipiebant, quae nescio quomodo lacrymis postea obortis fuissent funestata; quum tamen, quae hic narrat Cicero, de Mario et Minturnensibus narret, nihilque ad Ciceronem pertineant.

Cap. 11. *qui est quidem cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus, sed ita magni amoris, ut illae necessitudinis caussae leves esse videantur.*] Ursini coniectura, (qui *magnis* scribere vult, pro *magni,*) probata a Schützio, Wolfio, adeoque ab Orellio in textum recepta me movere non potuit, ut contextum mutarem, quoniam propterea, quod antea dixit *maximis vinculis,* non consequitur, scriptorem dicere voluisse *magnis vinculis amoris,* quum *magni amoris* prorsus eandem vim habeat, ut omittam duorum verborum in eandem syllabam exeuntium concursum, quo male afficimur, evitari.

Cap. 12. *quum videatis luctus societatem*] Omnibus codd. exhibentibus: *videatis,* uno Bav. qui exhibet: *videtis,* excepto, Orellius recepit: *videtis.* Recte. Fere ubique Cicero in tali contextu, ubi *quum* caussam quamquam significet, tamen tota enuntiatione res aliqua praesens ideoque factum aliquid significetur, indicativum ponere solet.

Atque haec sunt indicia solida, iudices, et expressa; haec signa probitatis etc.] Garatonius quidem probat scripturam, quam dicit Ursinus ex antiquo codice sumtam esse: „*atque haec sunt indicia solida, iudices, haec expressa signa probitatis.*" At prorsus assentior Orellio, qui auctoritatem Erf. et Bav. sequutus est. Iudico autem, duplicem propter caussam hanc scripturam esse praeferendam, primum quod vulgo haec duo a Cicerone iungi solent *solida et expressa*, de nat. Deor. 1, 27. quem locum ipse Garatonius in priore editione Plancianae laudavit, Tusc. 3, 2. *solida res et expressa, non adumbrata.* de Off. 3, 77. *nos veri iuris, germanae iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus.* Est igitur nihil aliud, quam *verus, non adumbratus.* Deinde vero sic optime loci ratio constat, quum priorem enuntiationis partem constituant: *indicia solida et expressa*, alteram, *signa probitatis non fucata, sed inusta,* adeo ut turbata magis quam ordinata videri posset oratio, si esset, *haec expressa signa probitatis, non fucata, sed inusta.*

nonnullis rebus inferiorem, quam te, generis dico et nominis.] Hunc locum Garatonius atque reliqui interpretes mutilatum putant, quod genitivi *generis* et *nominis* requirant aliquod substantivum, unde pendeant. Itaque Garat. ante *dignitate* scribi voluit pro *dico;* postea, quum inspicere licuit cod. Bav. ubi erat: *generis dico et nominis,* ablativum *genere* et *nomine* ponere placuit; hac scriptura reiecta, nihil mutare audet, magis placet tamen ei *dignitate;* Ernestius coniecit *splendore*, Wolfius *decore*, quam coniecturam Orellius amplectitur, existimans, compendio scribendi facile omitti potuisse hanc syllabam: — *re.* Verum ex analogia, quod attinet ad usum substantivi *res* in lingua latina, a consuetudine mihi haud alienum esse videtur, si dicam, genitivos pendere a *nonnullis rebus.* Saepe enim Latini addunt alius cuiusdam substantivi genitivum, quo significare volunt, *quod attinet ad* seu *quae pertinent ad aliquid,* v. c. *res rationum* Verr. 3, 14. res, quae pertinent ad rationes, res computatae, *berechnete Dinge; res cibi* Phaedr. 4, 7.

quod pertinet ad cibum, *essbar; res voluptatum parva est;* Plaut. Amphitr. 2, 2, 1. i. e. voluptates parvae sunt. *res Veneris*, Lucret. 2, 173. adeo, ut periphrastica quaedam haec sit loquendi ratio. Addi etiam potest Graev. nota ad Verr. l. l. *recita denuo: L. Lentulo, L. Triario, Quaestoribus urbanis, res rationum relatarum.* „Cave quidquam auferas, *res rationum relatarum* sunt relatae rationes. Nihil hac circumscriptione tritius apud Graecos atque Latinos, ut *res voluptatum* apud Plautum, Graecis χρῆμα τῆς παρθένου est παρθένος." Quod reperitur apud Charit. ab init. cf. Plat. de rep. 8. p. 568. A. Herodt. 1, 36. Plura dabunt exempla Vig. p. 156. Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. v. 100. Kiessling ad Theocritum p. 420. et Nitzsch ad Plat. Ion. p. 33. Eodem modo usurpantur apud Graecos ἔργον et πρᾶγμα, atque apud Latinos: *negotium.*

sed impunitum in maledicto mendacium.] Iam ante Garatonius probaverat, quod Antonius Augustinus e vulgata *maledico* correxerat *maledicto* idque e cod. Puccii Iannoctium retulisse notaverat. Postea in sequenti editione, Bavarico inspecto, invenit *maledicto.* At Orellio, quemadmodum in nonnullis codd. post *crimen* esset apertum glossema *in reo,* suspectum esse etiam videtur *in maledicto.* Simpliciter scribendum esse dicit: *quod non crimen est, sed impunitum mendacium.* Insertam esse eam voculam perperam, quod grammatici discipulis locum haud dubie sic explanaverint, *crimen in reo, in maledico mendacium.* Hoc igitur interpretamento factum esse, ut alii scripserint *maleficio,* alii *maledicto.* Damnat igitur eam scripturam, quae codd. optimis, Erfurtensi Graevii et Bavarico Garatonii confirmatur, neque abhorret ab linguae usu, atque scribendum esse putat: *impunitum maledici mendacium;* propter locum pro Muren. 6.: *maledictum est, si vere obiicitur, vehementis accusatoris, sin falso, maledici conviciatoris.* Ex quo profecto eodem iure contenderim, Ciceronem *in maledicto* scripsisse. Nam si *maledictum* est id, quod vere obiicitur, atque si quis falso obiicit alteri, non tantum ex sententia Ciceronis *maledicus* est, sed *maledicus conviciator;* profecto non video,

cur magis placeat, quum optime haec inter se congruant: *est mendacium in maledicto*, scribere: *impunitum maledici mendacium*. Ex sententia Ciceronis nihil certe elici potest, quod alterutram caussam magis defendat. Neque vero etiam *impunitum* recte Orellius interpretatus est, quum dicat, propriam significationem hoc quoque loco retinere, *mendacium neque redargui, nedum puniri posse, quia aliquem in provinciam ductum esse dicat, neque quinam iste fuerit, doceat*. Immo *impunitum*, quod poenam meret gravissimam, sed nondum punitum est.

idem postea praemandatis requisitus] Postquam alii aliis locum tentaverunt coniecturis, nominatim Turnebus scribendum censebat *praetoris mandata*, Garatonius primum *praemiis datis*, deinde *praemiis dictis*, Wolfio denique placebat *a praemeditato*. Sed primus Huldricus recte vulgatam *praemandatis* defendit, recte ea interpretando, propter similem locum ad Div. 5, 9. „*dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivis cum Vandaeis esse; de quo tu mihi nihil mandasti, ego tamen, terra marique ut conquireretur, praemandavi*, ubi merito notavit, non posse referri *praemandavi* ad *mandavi*, quasi *praemandavi* sit: *mandavi, quamquam tu ante nihil mandasses*, sed esse, *nuntiare* seu *indicare* in diversis locis *servi fugam*, ut si venerit eo, capi possit, quod nos dicere solemus: *durch Steckbriefe verfolgen*. Alterum locum in Plauti Truculento 2, 4, 49. existimat, non prorsus similem sensum pro contextu habere, quamquam non eum, quem ei tribuat Gronovius in nota ad Gellii locum Noct. Att. 4, 1. At Gronovius, quod equidem sciam, neque locum nostrum neque Comoediae Plautinae neque Gellianum interpretatus est, nisi vero hoc dicimus interpretari, in loco Plautino: „*mater ancillas iubet, quoniam iam decimus mensis adventat prope, aliam aliorsum ire, praemandare et quaerere puerum aut puellam, qui supponatur mihi*,“ si Gronovius *iubet* expungit, et *praemandare* contendit idem esse, quod *praemandat*. Verum enim vero conficitur loco Plautino, si contuleris eum cum illo in epp. ad Divv. *praemandare* significare: alicui aliquid faciundum

mandare, non in praesentia, non continuo faciundum, sed, quod faciat, si aliud quid acciderit, evenerit, *im voraus Auftrag geben, im voraus Bestellung machen.* Hinc Phronesium meretrix apud Plautum Dinarcho suo, cum quo rem habebat, profitetur, se non praegnantem esse, quum est, se simulare autem, se esse, militi Stratophoni, ut eius opibus liberius uti possit, dicit igitur: *mater mea ancillas iubet, praemandare et quaerere puerum: sie befiehlt den Mägden, in die Häuser zu gehn, um voraus Bestellung zu machen,* ut si puerum aliqua pepererit, is sibi afferatur et supponatur. De servo fugitivo si dicitur, est: curare, ut, si aliquo venerit, ibi capiatur. Quae quum firmiter animo tenemus, e variis illis scripturis et coniecturis, quomodo locus Gellianus constituendus sit, facile perspicere licet. Ibi Favorinus philosophus rogavit ostentantiorem aliquem grammaticum, ut definiret, quid esset *penus.* At ille speciem semper aliquam aut de *penu* aliquid quum afferat, Favorinus, inquit, *definire esse genus afferre differentiis appositis.* Quae quum se non intelligere profitetur, Favorinus ita: *Sed si idem mihi praemandare, quod dicunt, postulas, faciam sane id quoque honoris tui habendi caussa.* Hic Erasmus, Gryphius scribendum esse putant: *sed si id me tibi praemandare;* Regius cod. habet: *sed iste mihi praemandare.* Alii codd. *sed si te mihi praemandate.* Salmasius et Gronovius scribunt: *postulas me te mihi praemandare.* Qua in diversitate egregie nos adiutos sentio, si tenemus significationem, quam in superioribus locis id vocabulum obtinet; eam si huc transtuleris, totus contextus egregie eam interpretationem confirmabit. Ubique inventum fere *mihi* et *praemandare,* quae lectio in plurimis codd. exhibetur et tamquam difficilior facile praefertur. Hinc verissime ita est h. l. constituendus: *sed si idem me mihi praemandare postulas,* si postulas, ut idem mihi praemandem h. e. ut similem definitionem ante exhibendam mihi quasi mandem, quem tu in *penu* definiendo imiteris. Definit enim continuo, *quid sit homo,* ut clarius etiam perspiciat, quid requiratur in definitione. Sunt igitur verba vertenda: *Wenn*

du aber verlangst, dass ich dasselbe, wie man zu sagen pflegt, vorher bei mir bestelle, mir vorher aufgebe, dir nemlich eine Musterdefinition gebe. Ex quibus omnibus patet, etiam locum Gellianum huc pertinere et confirmare interpretationem illam locorum Ciceronis et Plauti. Disputavimus autem plura de ea re propterea, quod *praemandare,* quae est varians scriptura in loco Gelliano, omnino non eo sensu dici soleat improprie, ut sit *accurate docere,* et *praemandare* in lexicis nondum illustratum sit, nedum demonstratum, quatenus proverbialis sit loquutio; de quo ipso nihil decernam. Est igitur verissimum, in loco nostro Plancianae esse *praemandatis:* iis, quae mandantur conquisitoribus, dum adhuc oberrat fugitivus ille, ut, si viderint, prehendant eum. Quapropter valde miror, quod Orellius discessit ab hac sententia, existimans *praemandatis* ad homines, ad personas esse referendum, non ad indicia de homine fugitivo, ad ea, quae conquisitoribus mandantur.

Cap. 13. *Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse*] Optimi codd. Bav. et Erfurt. habent *hoc,* Erfurt. *qui queruntur hoc,* rectius Bav. *qui hoc queruntur.* Garatonius id vocabulum vel propter collocationis varietatem, vel quod non tollat figuram, quae in loco hoc obtinet, sive ellipsin, suspectum habet; idque incommodi multum afferre putat. Qua in figura sive ellipsi demonstranda verbosior, et longior iusto nobis esse videtur, quod quidem proprie dici debuerit: *queruntur dicentes,* quum nihil frequentius sit, quam ut sequantur accus. cum infin. post verba dicendi, neque opus sit, ut grammatici in Sanctiana Minerva tam multa praecipiant. Quum igitur equidem nihil offensionis sentiam, quod ellipsis aliqua afferat, nihil etiam statuo incommodi afferre voculam *hoc,* siquidem ellipsis non tollatur. Immo confero ea, quae Garatonius profert, ut demonstret, acrius sic oratorem, quum proprie: *ergo hi ferendi sunt, qui libertatem equitis Romani ferre non possunt?* dicere debuisset, loquutum esse: *ergo — queruntur, libertatem se ferre non posse?* ad vocabulum defendendum: *hoc,* persequutus quippe Garatonii

sententiam, ut vim adderet maiorem etiam orationi, *hoc queruntur* dixisse. Orellius sequutus est exemplum Garatonii.

Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta] Garatonium *etiam* propter contextum offendit, quod Granius praeco, homo infimus, oppositus sit equitibus Romanis et significare velit orator, indignum esse ordine equestri, maledicta se memorare huius in nobilissimos, quum adeo praeco maledixerit consuli, hac autem vocula inserta sensus esset illorum verborum: *in nobilissimos adeo maledicta equitum memorem, nedum in alios.* Quidni autem referamus *etiam* ad equites? Vult enim hac particula addita notioni huic: *equitum* vim addere, adeo ut magis oppositio *equitum* et *Granii* sic appareat. Itaque non tantum, ut Orellius fecit, haec particula ferri potest, sed aptissime et ex usu posita est. Neque vero etiam damnaverim repetitionem vocabuli *ego* ante *publicanorum,* quod exhibet scholiastes antiquus, probatum a Garatonio, non probatum ab Orellio, idque propterea, quod vis non insit pronomini, sed in *equitum* et *publicanorum;* sed quamvis id nemo negaverit, tamen stare potest, quod alia quaedam sententia sive enuntiatio, quamquam prorsus similis, incipitur. Denique non facio cum Garatonio, qui omittenda esse putat verba: *et libere* ante: *dicta commemorem,* auctore scholiaste, qui item id omisit. Existimat enim, quum antea dixerit orator: *asperius loquutus est aliquando, immo fortasse liberius,* hic libertatem dictorum asperitate et ferocia eorundem in equitibus eum defendere velle. Verum recte disputare mihi videor, si dico, quod Cicero ante sic defenderit Plancium seniorem, liberius potius multa loquutum esse, quam, uti ei alii obvertere possint, asperius, differre bene inter se omnia: *aspere, ferociter et libere,* ita ut notiones diversas sic significatas esse putem, neque eum illis verbis sensum tribuam, quem invenit in iis Orellius, ἐπεξήγησιν quandam vocabulo inesse statuens, quasi dixisset, quae aliis aspere dicta videntur, publicanis libere videbantur. Verum hunc sensum aegre quis extricaverit ex his verbis. *Aspere* loquitur orator, quemadmodum asperitas de omnibus rebus horridis et

incultis praedicatur, si acriore oratione mordet, graviter offendit. *Libere* loquitur, si nihil gratiae nec potentiae tribuit, si confidenter loquitur. *Aspere et acerbe loqui* esse potest maledici. *Libere* est eius, qui bonam caussam defendit sine timore.

Cap. 14. *domum decedens rogasset*] Ubique in scriptis et in editis est *descendens*. Unus Manutius e libro Maffei scribendum esse putat: *discedens*. Atque Garatonius longiore disputatione probat, *descendere* quidem dicere Latinos in formulis: *in aciem, in forum,* quoniam semper de locis inferioribus usurpetur, dici numquam autem: *domum*. Quamquam autem illud est verissimum, in forum descendere vulgo dici, tamen hoc usu excludi non posse puto illum, si dicatur: *descendere domum,* quum hic curiam haud dubie respexerit, ex qua in forum descenderet, reversurus domum suam. Neque vero adstipulor Garatonio, qui fretus loco Liviano, 2, 31. *decedentem* (e curia Valerium, quum dictatura se abdicasset) *cum favore ac laudibus prosequuti sunt,* pro *discedens,* quod in medium protulit unus Manutius e cod. Maffei, poni vult *decedens;* quod Livius sane *decedens* longe aptius dicere poterat, quam Cicero de Nasica, qui, quum iam in medio foro esset, rogaret Granium. Immo non labefactandam esse puto scripturam, quae constanter exhibetur a Codd. iisque optimis: *descendens*. Neque enim hoc tantopere urgendum est, quod *descendere* tantum dicatur *in forum,* tamquam in locum inferiorem, habitantibus nobilibus Romanis in locis editioribus, vel propter hanc caussam, quod usus metaphoricus eius vocis admodum frequens est, siquidem crebro dicatur apud omnes scriptores: *descendere in certamen, in aciem, in dimicationem, descendere ad conditionem alicuius, ad sententiam* etc., vel propterea, quod etiam tum, ubi non translate dicatur, non obtineat semper ratio illa, ut ex editiore loco in inferiorem devenisse existimandus sit. De qua re ipsum Garatonium videmus disputantem ad Phil. 2, 6. *hodie non descendit Antonius* sc. in senatum. Hic contra Manutium, notantem, ita dici, quod Antonius in editiore loco habitasset, Abramius et Graevius

monent, Antonium in Carinis, ubi fuerat domus Pompeii, habitasse. Quod quum neget Heusingerus, quod inter forum et Carinas colles interiacuerint, a quibus descensus fuerit, ipse Garatonius contra docet, in valle Carinas inter Coelium et Esquilinum sitas fuisse; ablegat etiam nos ad locum Cic. ad Att. 4, 3. *A. D. III. Idus Novembr. quum sacra via descenderem, insequutus est me cum suis.* Itaque descendere hoc Plancianae loco optime dicitur et positum pro: se conferre, redire.

Cap. 15. *cui tum est senatus assensus.*] Arctius haec cum superioribus mihi cohaerere videntur, quin una interrogatione etiam superiora comprehendam ideoque signum interrogationis non uti vulgo scribitur et Orellius existimat, post *Hortensio* ponam, sed cum Garatonio post *assensus.*

cuiuscunque tribus largitor esset per hanc consensionem] Hic contra omnes codd. Ernestii et Schützii exemplum sequutus Orellius *et* ante *per hanc* etc. omittendum esse putavit, quod sensum turbet virgulaque sublata, verba: *cuiuscunque tr. larg. e. per hanc consens.* una enuntiatione comprehendit. Verum illud *et* recte se habet, siquidem duas enuntiationes diversas inter se coniungit. Cicero enim dicere vult: cuicunque tribui aliquis largiatur, *et per hanc consensionem* (quae verba hic maximam vim habent) turpiter largitur tribui, is notus esse debet eidem tribui; hae sunt istae diversae sententiae, quae merito per *et* cohaerent. Si comprehenderem: *cuiuscunque tr. larg. e. per h. consensionem,* dixisset: cuicunque tribui aliquis hac consensione largitus esset, neque verba: *quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum* commode sese adiungerent superioribus, quoniam priorem sententiam repetiisset adeoque inepto modo. Hac autem interpunctione, virgula post *esset* restituta et resumta particula *et* constituuntur duae sententiae, quae coniungendae sunt. Ex pronominis usu frequenti illo in lingua latina *quam quisque* scribit orator, quo quis facile perturbetur et inducatur, ut credat, omnia unam efficere periodum, quoniam proprie scribere debebat, siquidem

a subiecto *largitor* omnia hic pendent: *cuicumque tribui aliquis largiatur et per hanc consensionem largiatur, ei tribui ille largitor notus esse debet.*

Cap. 16. *Fuit id certe aequum et certe exspectatum est*] Merito Graevius, Garat. et Orell. illi codd. auctoritate, hic etiam addita Iuntinae, post *fuit id* adiiciunt *certe,* quod Ernestius omisit et Schütz. At Orellius errare videtur, si suspicatur, *certo exspectatum est* scribi debere, non *certe;* quasi non sic duo *certe* eo sensu scil. restrictivo poni possint.

Tu, me ignaro, nec opinante, inscio notes et tuos] Quamquam *ignaro,* quod edidit, lectionem *inscio* valde incertam reddit, tamen Schützii coniecturam *in sinu* Orellius probare non debebat. Nam quum ineptum foret, coniungere *in sinu notare* et sensus esse debeat: notes tuos et tuorum necessarios, qui sunt in sinu tuo, mira sane haec esset verborum complexio et collocatio *in sinu et tuos,* ut constanter affirmem, latine sic dici non posse.

iniquos vel meos, vel etiam defensorum meorum] Quamquam scriptura *vel inimicos meos,* quam exhibent nonnulli libri scripti, maxime commoda est, tamen ea e glossa esse videtur et merito difficiliorem scripturam Erf. Bav. aliorumque librorum optimorum, Graevio, Garatonio et Orellio auctoribus, praeferendam esse putamus, qui habent: *vel iniquos vel meos vel etiam defensorum meorum.* Suppleri debet *iudices;* quamque verum hoc sit scribere, ex sequenti patet enuntiatione, ubi sententia illi opposita sequitur: *eodemque adiungas, quos natura putes asperos atque omnibus iniquos.* Habet autem in textu et Graevius nihilo minus *vel inimicos,* et Garatonio quoque haec scriptura placet. Orellius scripsit, quamquam Lambini codd., deinde Erf. et Bav. habent: *vel iniquos vel meos,* sic: *iniquos vel meos,* atque delendum esse putat *vel* ante *iniquos.* At e totius loci natura, quum ante „*et*" *tuos* „*et*" *tuorum* dixerit, qui sunt amici, quum dicit iniquos, suppleri debent iudices;. et *vel* ideo recte mihi afferre videntur libri scripti.

Tu deligas ex omni populo — — idcirco ista editio per se non acerba est.] Hic offendebant me, quotiescum-

que in eum locum devenissem, illae interrogationes crebrae, quae singulas efficerent enuntiationes, quum nullam interrogandi caussam viderem; immo totius loci ratio haec mihi esse videbatur, ut non interrogaret adversarium orator, sed ei haec omnia concederet, et apodosis demum sequeretur verbis: *idcirco ista editio per se non acerba est*, ut sensus esset: *etiamsi tu, Laterensis, haec omnia fecisses, tamen non idcirco ista editio acerba esset*, et quae his antecedant proxime, *non enim — veniremus*, pro enuntiatione interserta habenda atque uncis includenda sint. Itaque expungenda sunt interrogationis signa omnia, semicolon ubique ponendum et post: *dicere* et *veniremus* lineola oratio distinguenda.

Cap. 18. *quum scientia certissima*] Quaeritur, an recte hic cum Orellio scribi debeat ex grammaticorum praeceptis *quum*, nec potius *cum*.

Cap. 19. Quaeritur, an: *gratiosum in sua tribu*, scribendum esse recte dicat Garatonius, propterea quod *gratiosus tribulibus*, dativus ille quippe, hic pugnet cum consuetudine latina.

per quem tulerit] Orellius errare videtur, quum his putat Ciceronem indicasse Laterensem eiusque petiisse superbiam. Neque enim hoc unum Cicero attulerat tanquam caussam, cur tulerit Pl. tribum. Multis rebus effectum est, ut vinceret. Accedit quod modo dixerat: *per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit*, adeo ut personis significet fieri, quae vulgo rebus fieri soleant.

Cap. 20. *vocatae tribus; latum suffragium; descriptae; renuntiatae*] Et Garatonius et Orellius agnoscunt praestantiam lectionis, quam exhibet cod. Erfurt. *diribitae*; haerent modo in eo, quod *diribere* proprie sit tabulas suffragiorum singulis distribuere, adeo ut hic dici debeat: *diremtae*, quod sit: suffragia, quot quisque candidatorum tulerit, numerare et sic tribus singulas et suffragia eo referre, quo quidque pertineat. At quum prorsus eodem sensu supra cap. 6. vox *diribitio* usurpata sit, atque ibi non, uti hoc in loco, optimus cod. Erf. solus eam scripturam afferat, sed

etiam Bav. non faveo opinioni Orellii de ortu huius lectionis neque puto, cum eo exspectandum esse, donec in aliquo cod. inveniatur scriptura *diremtae.*

An tandem una centuria praerogativa] Nihil verius, quam hic scribi debere, quamquam unus cod. eam scripturam subministret Bav. *ain tandem? u. c. pr.* Nam, quum vel in omnibus libris scriptis sit: *an tandem* et in uno illo reperiatur: *ain tandem,* post quae verba signum interrogandi poni debet, auctore Manutio ad. Divv. ep. 9, 21. recipiendum est illud, quod Orellius quoque valde probat.

Cap. 23. *Neque enim, qui illi nummi fuerint, nec, quae tribus, nec, qui divisor, ostendis.*] Excudi curavi *ostendis* non *ostenderis,* scripturam unius Bavarici a Garatonio probatam, quod pateat non ostendisse, quum debuisset. Orellius propterea non ausus est scripturam recipere, quod e scribendi compendio ea facile oriri potuerit.

aut ab eo facilius ob eam caussam, dignitatem, quam volunt, consequantur.] Garatonius, quamquam hic silent omnes codd., valde offenditur voce *dignitatem,* quam factis, non ab aliquo datam, consequi possimus, siquidem, ut ante dixerat Cicero, populus tantum honores, nec gloriam dare possit. Reiecta autem praepositione *ab* nihilominus difficultatis multum remanere, quod *eo* et *ob eam caussam* non congruant, sed alterum aperte redundet. Verum tamen in eo acquiescit, quod *ab* reiicit, retinet autem *ob eam caussam.* Orellius autem putat, ab aliquo interprete male sedulo vocis *eo* adscriptum esse *ob eam caussam* atque alium grammaticum, qui *eo* ad populum retulerit, *ab* praepositionem adscripsisse atque sic interpretamentum diversi auctoris in textum receptum esse; nihil tamen in tanto codicum silentio mutandum esse puto. Verum haec per se quum vix quisque sibi persuadere possit, non opus est, ut confugiamus ad ullam correctionem aut suspicemur, infesta manu hunc locum tentatum esse. Nam primum haec sententia, quae offensionis aliquantum habet, mitigatur eo, quod dixit: „*quasi*“ — *ab eo facilius consequantur,* deinde vero disertis verbis temeritatem illorum, qui testimoniis de ambitu glo-

riolam consequi cupiunt, arguere vult, dicens: quasi populus eos muneribus dignos, quales videri cupiunt, reddere possit, vigilantiam quippe suam ipsorum in civium fraudibus arguendis et animadvertendis si intelligat.

Cap. 24. *Quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis:*

Vigilandum est semper, multae insidiae sunt bonis.

Nostis cetera:

Non te id quod multi invideant,

quae scripsit gravis ille et ingeniosus poëta, scripsit, non ut etc.] Haec loci scriptio, quae si a paucis recesseris iisque levioribus, ab omnibus codd. exhibetur, non labefactari debebat ab interpretibus. Habent hunc locum sic perscriptum Graevius et Ernestius. At reliqui fere omnes editores inprimis illis vocabulis *nostis cetera* inter poëtae verba interpositis ac nominatim Garatonius offensi sunt, ut a se non impetrarent, quin post verba poëtae demum ea verba ponerent. Princeps et auctor hac in re fuit Manutius, cuius exemplum Garatonius sequutus est, qui caussam etiam subtiliter demonstrat, quae istam transpositionem absurdam effecerit, quod quidem multi libri scripti habeant *ceteraque* et post *invideant* etiam *quae* sequatur. Verum haec argutiora, quam veriora. Atque ingenue fateor, me non dispicere posse, unde tanta offensio existat hac loquendi seu scribendi ratione, si inter verba poëtae intersertis vocabulis *nostis cetera,* sequantur sequentis versus aliqua verba. Tantum abest, ut quis hac ratione offendi possit, ut, quemadmodum Orellius operam dedit colligendis locis iis, ubi, si semel post verba poëtae alicuius citata additum est: *nostis cetera,* nihil amplius e versibus afferatur, ego non opus esse putem, locos, qui huic similes sint, ubi aliquid post: *nostis cetera* addatur, quaerere. In tanto igitur omnium codd. consensu, qui constanter verba illa *id quod multi invideant* exhibent, insertis ante oratoris vocibus *nostis cetera;* ulterius progredi in coniectura, quod fecit Orellius, et opinari, antiquissimis temporibus, antequam ea exemplaria exararentur, quae ad nostram aetatem pervenerunt, ab aliquo grammatico e loco Sextianae c. 48. verba illa nostro

loco adscripta esse: *id quod multi invideant*; id profecto ipsi Orellio non in mentem venit, nisi postquam inspexerat Angelii editionem Iuntinam, in qua ea omissa sunt. Idque satis manifestum est ex eo, quod Orellius ipse profitetur, se fide et auctoritate codd. commotum contra Garat. et reliquos, Lamb. Weisk. Schütz. *nostis cetera* a suo loco, quem obtineant in libris scriptis, non movenda esse statuere, dummodo post verba *nostis cetera* scribatur *nonne: „id quod multi invideant?"* *quae scripsit ing. poëta, non ut* — — — — — *nonne?* quasi consulto sequentia: *multi expetant, inscitia sit postulare* etc. tamquam invidiosa reticere maluerit; in quo tamen, quamvis ne hoc quidem concesserim, verba propter invidiam, quam facere possint, oratorem omisisse, non necessarium esse putem, in fine orationis repetere *nonne?* Itaque Orellius, qui antea persuasum habebat, *nostis cetera* recte esse positum inter verba poëtae, mutavit sententiam atque inspecta Iuntina, quae omittit verba poëtae sequentia: *id quod multi invideant* atque habet: *nostis c., quae scripsit gr. i. et i. p., scripsit, non ut* — id, quo Garatonius merito offensus sit quodque impedimentum vocibus illis *nostis cetera* post poëtae verba *invideant* ponendis, quodammodo ab eo remotum sit, prorsus sublatum esse contendit. At quaeritur modo, an impedimentum ullum nobis obiectum sit, adscitis his poëtae verbis, quae repraesentant omnes libri scripti et editi praeter illam Iuntinam et an non potius hic locus sic a manu male sedula concinnatus sit. Quod vel ex eo manifestum mihi esse videtur, quod, si continuo: *quae scripsit* etc. excipiant illa verba priora: *nostis cetera*, vix caveri possit, quin referamus illa *quae scripsit* ad *cetera*, ita ut *quae scripsit* etc. constituant enuntiationem, quae dicitur, secundariam sive, quae accuratius definiat, describat, enuntiationem primariam: *cetera nostis*. Verum totius loci ratio: *quae scripsit* etc. alia est, ut peculiarem constituat sermonem sive enuntiationem, quandoquidem *quae* pro *haec* positum pertinet non magis ad ea, quae reticentur, quam ad ea, quae adlata erant. Intelligitur etiam, sententiam per se spectandam verbis illis efferri,

magis e duplicatione seu iteratione verbi *scripsit* ante voces *non ut*. *Was jener geistvolle und hohe Dichter geschrieben hat, hat er geschrieben, um uns* etc. Haec profecto his verbis comprehensa non ad unum illud *cetera* referri possunt, sed ad universum poëtae sermonem pertinent et per se capienda sunt, non tamquam ab alia enuntiatione pendentia. Atque sic facillime devenimus ad id, quod ultimo loco demonstrandum est, interpretibus ac nominatim Garatonio et Orellio non suspectam videri debuisse iterationem verbi *scripsit*. Nimirum sane habet sic sermo, de quo sibi non persuasit Orellius, plus gravitatis, quod mentem poëtae et consilium, quo haec scripserit, patefacere vult, sibi ipsis, posteritati hoc eum scripsisse. *Was der Dichter geschrieben, hat der Dichter uns geschrieben zur Aufmunterung* etc. Denique voce *nonne?* quod fere omnes libri exhibent post *nostis cetera*, Orellius non ideo vult carere, quod ea desideretur in Iuntina, atque locum sic corrigendum esse sentit, quasi interrogativae particulae vis hic non satis percepta sit: *Vigilandum est semper: multae invidiae sunt bonis. Nosti cetera. Nonne? quae scripsit gr. i. et ing. poëta, non ut — — nonne?* Retinet igitur scripturam Iuntinae *nosti*, ita ut tantum ad Cassium referatur; adsciscit *nonne*, quod non habet Iuntina et repetit hanc vocem in fine, damnat denique iterationem verbi *scripsit*. Verum nihil me movet, ut recedam a vulgari verborum scriptura, complexione et dispositione.

Cap. 25. *Quasi vero isti, quos commemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia commissi sunt iis magistratus, re bene gesta triumpharint.*] Sic Garatonius locum constituit, cui adsentitur Orellius, quum ubique scriptum deprehendamus *in quibus re bene gesta triumpharent*. Unus cod. Ursini habet: *quia c. s. i. magistratus, in iis r. b. g. triumpharint*. Fluctuat tamen uterque inter alterutram scripturam, dubitans, utrum scribendum sit: *et non commissi sint iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent*, ita ut deleto *quia* post *et non* retineatur *in quibus*, an retenta particula caussali *quia*,

post *et non* suppleri non debeat *ceperint*, sed eae voces referendae sint ad *triumpharint*, ita ut deleri oporteat: *in quibus.* Probabilis sane est utraque ratio, at, quum sit maximus codd. consensus, eam scripturam tuendam esse puto, quae est omnium fere codd., praesertim, quum locus ex toto contextu ex vulgata scriptura commodius explicetur, quam quis putet. Dicere vult orator, magistratus non ceperunt, propter triumphos, sed *(quia iis commissi sunt)* propter fidem, quam habebet populus eorum virtuti, sperans, fore ut ea triumphum mererentur. Fiducia igitur impulit eos, ut darent magistratus, quod putabant, eos meritis triumpho se dignos reddituros esse. Sic nihil offensionis mihi habere videtur locus, *et non* (sc. ceperint) *quia iis commissi sunt.*

Cap. 26. *Quid? alii quaestores non fecerunt?*], Ern. pro *nonne*, quod omnes habent codd., propter caussam sat gravem, posuit *non* eumque Garat. et Or. sequuti sunt. Quamquam autem non negaverim, negativam vim paullo maiorem sic habere interrogationem ideoque interrogari sic saepe maiore cum vi, quam per *nonne*, tamen contra omnium codd. auctoritatem hic non deleverim *nonne.*

Cap. 27. *Sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit* etc.] Schol. Ambrosianus habet *pluris mihi fuerit*, neque existimo eam scripturam esse reiiciendam, quum ad verbum verti possit, ita ut contextui orationis sententia sit accommodatissima: *Mich soll bedünken, als habe es für mich mehr Werth gehabt, als wenn* etc. quum suppleri possit nihil aliud nisi *pretii.* Modo interpretationem loci, quam proposuit ille Scholiastes, valde improbo, quod dicit, his verbis: *pluris sibi fuisse*, Ciceronem significare voluisse, non multos seu omnes sibi congratulatos esse e provincia venienti, quoniam vulgo eos blande exciperent quaestores et propraetores e provincia venientes amici, quos scirent provinciarum spoliatione divites factos esse; at haec profecto Cicero in mente nullo modo habere poterat, quod accurate deinde exponit, quid utilitatis sibi hoc attulerit, quod merita sua in quaestura Siciliae neglecta essent, certe illis, quibus Puteolis occurrisset, non cognita fuissent. Nimirum sic

se cognovisse, in populi conspectu esse vivendum, ita ut a populo observaretur, ut forum premeret.

Cap. 29. *patronum illum esse suum et familiae suae nobilissimae dicere.*] Hic profecto non ausim, quod Garatonius et Orell. facere non dubitarunt, meram Ernestii coniecturam in contextum recipere. Nimirum is in textu vocabulum *nobilissimae* uncis inclusit, sub textu autem adnotavit, pro *esse* sibi magis placere *et* et *nobilissimae* haud dubie glossam esse. Silentibus autem omnibus codd. Garatonius probavit propterea hanc omissionem, quod e vocibus praecedentibus *homo nobilissimus* satis pateat, qua familia oriundus esset, quasi haec videri possit caussa idonea; Orellius vero attulit ad hanc vocem suspectam reddendam, languidum hunc sermonem librario visum esse *et familiae suae dicere,* atque ideo addidisse *nobilissimae.* Sed errare magnopere mihi videtur, si hoc argumento uti vult in eiiciendis verbis. Denique *et* scribere pro *esse* probabile quidem videri potest, sed qui possis hoc in textum recipere, quum ne ulla quidem codd. varietas hic obtineat.

Et quemquam putas fuisse tam excordem etc.] Hic non post *timerent* cum Ernestio per (,) interpungi debet, sed maior interpunctio, quae est vulgata, ponenda est, quod, quae sequuntur, auctore Garatonio, continent responsionem ad id, quod obiecerat ante. Propterea haec adiicienda erant, quod Orellius sequutus est Ernestium.

Cap. 30. *ut omne studium meum in Cn. Plancii honore consumerem*] Quum Garatonius scripturam codicum a Lambino collatorum *honore* ablativum accusativo esse praeferendam edocuit locis similibus, ubi vel propter duorum verborum in eandem syllabam exeuntium concursum, codicum eorum, qui habeant ablativum, scriptura praeferenda est, deinde Bavarici auctoritate lectio ista confirmata est, non dubitavi eam recipere, quamquam Orellius habet *in honorem.*

Cap. 34. *sed fui, inquit, Nicaeae (putabam in Vaccaeis dicturum) bis in Bithynia.*] Nihil esse potest verius, quam *Nicaeae* esse delendum. Desideratur enim id vocabu-

lum in omnibus codd. et, si qui habent eam pro *Vaccaeis*, legitur *in Nicaeis.* Quo factum est, ut Gruterus eo loco, superiore, posuerit *Nicaeis*, ubi nullus id habet liber scriptus aut editus. Graevio placet scribere etiam: *sed fui Nicaeae*, quamquam in contextum eam vocem non recepit; Lambinus denique coniecit: *sed fui inquit (p. in V. dict.) b. Nicaeae in Bithynia.* Ernestius vero tantum *in Bithynia* uncis inclusit. Orellius: *sed fui, inquit, Nicaeae* etc. At cum codd. auctoritas, qui eam vocem omittunt, tum verba etiam *bis in Bithynia* aperte arguunt, *Nicaeae* sive supra ponatur sive infra ante *bis in B.* insiticium esse, et ex sequenti loco desumptum in hunc interpretandi caussa. Quidquid mediteris et proponas de vocis positione, si retinueris eam, quod sequitur *bis in Bithynia*, insolita est et vix probanda verborum complexio. Atque eandem ob caussam Ernestii coniectura, *in Bithynia* eiiciendum esse, admitti neutiquam potest; quid enim fieret voce *bis*, ea sane simul delenda esset, quoniam sic solitarium et in fine vix posuisset Cicero, ut recte Garatonius animadvertit, qui etiam merito hoc addit, vel propterea abundare in eo loco *Nicaeae*, quoniam nemo mirari possit, quod paullo post, quum Bithyniae mentio facta esset, *Nicaea* comparetur cum *Rhodo.* Itaque Garatonius vel hac parte nihil offensionis habere docuit, si post memoretur, ante in loco corrupto omittatur *Nicaeae*; tum vero etiam verba: *bis in Bithynia* et codd. auctoritatem vix admittere eam vocem, recte dicit. Denique vel propterea, quod verborum lusus *in Vaccaeis* valde ineptus sit. Quodsi Orellius ad tuendam vocem *Nicaeae* nihil profert contra Garatonium, nisi exempla, ubi Cicero lusum quemdam verborum non admodum lepidum admiserit, profecto hac in re mihi non probatur, ita ut contendam, eam vocem *Nicaeae* esse damnandam.

Cap. 35. *secum et illos et consules facere*] Quum neque codd. neque ulla editio nisi Iunt. et Crat. *et illos et consules* habeant, atque Manutius e coniectura vocem *et* addiderit ante *consules*, probo sententiam Garatonii, qui non labefactare vult scripturam *secum et illos consules.* Quod

caput rei est et efficit, ut constanter negem, *et illos et consules*, quae est scriptura in Graev. Ern. Orell. editione, veram esse, totius loci ratio talis est, ut eam vocem non admittat. Est enim primum interpungendum post *defecerant* ita, ut quae sequantur: *Qui exercitibus* etc. singularem constituant periodum, ubi de triumviris loquitur, postquam ante Consules a patria defecisse dixit. Iam vero ante *qui* supplendum est: *eos;* hinc: *eos, qui — poterant, vox Clodii personat, secum et illos et consules facere* aut *secum et illos facere,* inepte dictum foret. Patet e loci ratione, esse scribendum, ita, ut codd. auctoritas postulat, *secum et illos consules.* Quod quum scripseris, perpensa totius loci structione non eo sensu necesse est accipias *et,* ut sit *etiam,* quod recte Orellius adnotat, rarissime a Cicerone usurpari.

Cap. 36. *tamen, quum illud voluntarium vulnus accepit*] Agnoscit quidem Garat. *tamen ob illam, quod illud* esse scripturam eam, quae plurimorum et optimorum codd. consensu confirmetur, dubiam sibi modo reddere cumulationem illam pronominum, et particularum caussalium, inprimis autem sensum totius loci, quod Cicero non perseverantiam Metelli dicere velit fontem eius gloriae, seu eam esse virtutem, qua superarit omnium Metellorum laudem, sed, quod in exilium ire maluerit, ad civium vitandam caedem. Verum quum ita de hoc loco disputat, argutior huius loci interpres esse videtur, quam par est. Nam quum Metellus cederet, quod probos cum improbis occidi nollet, exilium quum praeferret caedi civium cruentae, quam excitasset, si Saturnino restitisset; mutare noluit sententiam et eius contumaciae aut pervicaciae poenam (exilii) luere maluit. Quidni sic recte igitur dicit Cicero, ob perseverantiam sententiae omnium Metellorum laude maiorem meruisse eum? quae certe si non proxima, certe remotior caussa erat, quod perseverasse se sane in sententia docebat, quum poenam luere mallet, quam recedere sententia.

NOTAE
AD
ORATIONEM PRO T. A. MILONE.

Cap. 1. *non afferunt tamen oratori aliquid*] Hic Garatonii sententiae, *non* esse delendum, merito Orellius non adstipulatus est, modo non Garatonii opinionem, *oratori* glossam, ideoque omittendum esse, probasset, idemque in textu omisisset. Nam primum quod attinet ad codicum suffragia, in omnibus reperitur negativa *non* adeoque in Vaticano codice, ubi, quemadmodum est in Memmianis, *horroris*, quod est de glossa, sequitur. Lambinus primus sustulit *non*, et *horroris* scripsit; Heumannus unus sequutus est, qui etiam *oratori* omisit. Correxit denique Ernestius locum hunc in modum: *nobis tamen afferunt horroris aliquid.* Ubique igitur in codicibus et editionibus antiquis est: *non afferunt tamen oratori aliquid.* Hinc mirari subit, qui factum sit, ut Garatonius nihil certius esse persuasum habeat, quam enuntiationem istam affirmativam, non negativam, ideoque *non* delendum esse. Eo adeo progreditur in hac sua ratione defendenda, ut illud *non* tum demum admitti posse contendat, si supra pro: *non illa praesidia*, scribatur, *nec illa praesidia.* Ut nihil dicam de eo, quod loci totius, qui tribus enuntiationibus, a *non* incipientibus, constat, ratio sic turbata foret; caussam, propter quam ita de hoc loco Ga-

ratonius statuat, aegre quis inveniat ullam. Nam primum unum idemque est, sive scribam: *non afferunt aliquid* sc. auxilii, sive, *afferunt aliquid,* quoniam ipso Garatonio interprete *afferunt tamen aliquid,* significat aliquid (sc. cogitationis, affectionis), qua terretur, conturbatur animus noster, adeo ut nihil intersit, utrum dicas: praesidiorum et armorum conspectus oratoris animum afficit metu, an, praesidiorum conspectu orator se neutiquam adiutum sentit. Quodsi, ad sententiam quod attinet, perinde est, utrum scribas, an omittas illud *non,* ne consuetudine quidem latina Garatonius caussam suam tueri potest. Nam si dicit, interdum *aliquid afferre,* tanquam vocem mediam usurpari, rectius fortasse dixisset, raro ita vocem *afferre* adhiberi, quum ipse concedat, vulgo *aliquid afferre* eo sensu dici, ut sit: opis, auxilii afferre. In locis ab ipso certe allatis, non obtinet ea vis, quam tribuit voci; at quod maximum est, temere quisque contra omnium codicum consensum, propterea expunxerit hic particulam negativam *non.* Denique in eo Garatonium errare existimo, quod *oratori* librarii additamentum esse putat, de quo vocabulo longe secus iudicasset, si, illas enuntiationes *nam illa praesidia — oratori aliquid afferunt* et *ut in foro — — timore possimus,* se quasi vicissim illustrare, adeo ut *oratori* notio seu vox in illo loco primaria sit, vidisset. Est enim oratoris haec mens: Sunt quidem praesidia collocata, *orator* modo iis non se adiutum sentit, hic enim in iudicio collocata, animo nostro non omnem metum eximunt. Itaque neutiquam Orellius Garatonii vestigia hic sequi debebat, qui vel propterea *oratori* glossema esse suspicatur, quod sequatur pluralis *sumus, possimus.* Verum omnia, quae antea dixerat, inde ab initio orationis, ad suam ipsius personam pertinent, atque etiam ea, quae postea sequuntur, (ut, *oratori* quod dixerit, vel propter hanc caussam non mireris) neque tamen ita omnia ad se refert, et de sua persona praedicat, quin subinde sermone suo se et iudices complectatur. Sic paullo post de se loqui quum continuat, apte dicit: *quamobrem illa arma non periculum nobis denuntiant, neque — hortantur, neque au-*

xilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur.

Cap. 2. *Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius, quid magis sollicitum dici aut fingi potest?*] Hic paullo accuratius Garatonii sententia refellenda erat ab Orellio, qui nihil fere amplius contradicit, quam aures suas flagitare id vocabulum *duobus*, quod Garatonius, in uno Bavarico desideratum, omittere velit, et uncis incluserit. Nam si idem ille propterea id de glossa esse suspicatur, quod eo vocabulo *vobis* optimates, senatores, equites etc., qui essent in iudicum numero, complexus sit, profecto temere de huius orationis contextu aliquid statuit, qui evincit, non ad illos, sed ad suam et Milonis personam id referri potuisse. Quodsi ante dixit orator: potestatem vos, iudices, omnem habetis, utrum nos vestrae auctoritati dediti semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus aliquando per vos recreemur, atque deinde sic pergit: *Quid enim nobis duobus laboriosius dici aut fingi potest?* profecto perversae mentis esset, haec ad ipsos iudices, neque potius ad Ciceronem et Milonem referre. Ad quod accedit, quod ea etiam, quae sequuntur, ad eundem omnia pertineant v. c. *in fluctibus concionum ei subeundae erant tempestates, in hoc consilio nunquam existimavi spem ullam habituros esse Milonis inimicos.* Ubi igitur orationis contextu tam clare edocemur de verborum quorundam sensu, quorsum referantur, unius codicis auctoritate ad id eiiciendum nemo commoveri debet.

metu crudelissimorum exitiorum] Recte Garatonius hanc multorum codd. scripturam scripturae aliorum librorum, v. c. Fabricii, Lambini, Bavar. *suppliciorum* praetulit, propterea quod hanc tanquam interpretamentum illius, non item illam huius a librario insertam esse suspicari licet. Paullo ante: *quos P. Clodii furor rapinis et incendiis, et omnibus exitiis publicis pavit.* de legg. 1, 12. *Socrates eum exsecrari solebat, qui primus a natura utilitatem seiunxisset.* Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium.

Quamquam in hac caussa, iudices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute reipublicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur — nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas.] In vocabulo *rebus* encliticum *que*, quamvis id absit a plurimis libris scriptis et editis, Garatonius, nescio quam ob caussam, retinuit. At plura disputanda sunt de distinctione, qua Garatonius, Huldricus, Orellius denique hunc locum sive sententiarum seriem ordinandam esse aut constituendam putarunt. Existimarunt isti, maiore interpunctionis signo post *abutemur* superiora a sequentibus segreganda esse, ut nova periodus a verbis: *nisi oculis* inciperetur. Quae distinctio quamquam mihi quoque valde probabilis videatur, tamen ratio totius loci ea mihi esse videtur, quae requirat, ut ea distinctio longe alio modo defendatur, quam quo ab Huldrico defensa est. Nam si Huldricus putat, inde a verbis: *nisi videritis* novam periodum incipiendam esse, nec propterea haec cum superiore enuntiatione cohaerere posse, quod non opus sit Milonis defensione, si iudices insidias oculis viderint: secum non reputavit, hic Ciceronem non propriam defensionem significare, sed, quo sensu saepe abuti dicitur meritis Milonis, se non in suam utilitatem uti velle i. e. ad iudicum animos demulcendos et a iustitiae severitate avocandos, nisi ante, quantum posset, accurate demonstrarit, Clodium Miloni insidiatum fuisse. Deinde vero eodem iure quaeri liceret, siquidem Huldricus coniungere vult *nisi* cum sequentibus, an opus sit ulla deprecatione, si iudices insidias oculis viderint. Denique idem si dicit, e vulgari distinctione oratorem id, quod antea verbis: *nec deprecaturi sumus* dixerat, temere repetere, atque ad haec ipsa verba repetenda esse denuo: *nisi — oculis videritis*; in eo etiam errat, quod illis verbis: *nec deprecaturi sumus* accuratius id, quod ante universe praedicaverat, explicat; repetere autem illa propterea non opus est, quod, quum dicit Cicero, *nec deprecaturi sumus* ea cum priore sententia *non abutemur* arctius cohaerent, ita ut, *nisi — videritis*, inserta quasi iis, et ad priora et ad sequentia referri possint. Quamvis autem hic

adeo omnia arctius inter se connexa sint, ut ante persuasum haberem, inde a *quamquam* usque ad *assignetis* unam eandemque periodum constitui, et vulgarem distinctionem defenderem; tamen nunc mihi quoque videtur probabilius, distinctionem vulgarem Garatonio auctore relinquere, vel quod sic etiam commodius et quasi sponte sese excipiunt sententiae, vel propter morem Latinorum, quod sic duae disiunctionis partes saepe sequuntur: *Nisi* aut *si* — *sin* aut *sin autem*, et singulares constituunt enuntiationes, quae sibi respondent. Locum sane simillimum habemus in or. pro Planc. 1. *Quamquam mihi non sumo tantum — neque arrogo, ut — putem. Nisi eius integerrimam vitam — ostendero; nihil — recusabo. Sin omnia praestitero — a vobis petam.* Item pro Cluentio c. 6. *haec nisi omnia perspexeritis, in caussa temere a nobis illam appellari putatote; sin autem erunt aperta et nefaria, Cluentio ignoscere debetis, quod haec a me dici patiatur.* Nihilominus tamen non ita a vocabulo *nisi* in nostro loco incipiendum esse putavi, quia quodammodo haec ipsa verba apodosin constituere statuam enuntiationis superioris, quae a me in textu est expressa.

Sin illius insidiae clariores hac luce fuerint] Hic Orellius pro *sin*, quod habent optimi codd. *sed si* scribere vult, sequutus nonnullos codices a Peyronio citatos, propterea quod *sin illius insidiae* etc. non tam opposita sint superiori enuntiationi: *nisi* — *oculis videritis*, quam vehementius eandem sententiam repetant. Hanc defensionem non perspicio. Quaeri enim potest, qui fiat, ut statuas, hic Ciceronem potius sic loqui velle, ut eandem sententiam paullo vehementius iteret atque deinde, an non revera utraque sententia sibi opposita sit. Mihi vero persuasum est, illas enuntiationes *nisi* — *videritis* atque *sin illius insidiae* etc. quas Orellius sibi oppositas esse negat, oppositas existimari debere. Quid enim aliud dicit, nisi hoc: si insidias non oculis videritis, non deprecabor; at si insidiae luce clariores sunt, obsecrabo vos etc. Quid autem hoc aliud est, nisi opponere duas sententias? Iam vero nihil frequentius est in sermone

latino, ut, si altera disiunctionis pars incipit: *si, nisi,* altera *sin, sin autem, sin vero, certe, tamen* incipiat, rarissime sequatur *sed si.* Habemus autem similis dicendi rationis exempla in duobus illis locis orationum pro Plancio et Cluentio paullo ante laudatis.

Cap. 3. *Quod si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis est, qui* etc.] Hic Orellius contra Garatonium *defenderet* defendentem, tuetur perfectum: *defenderit,* cum propterea, quod sic in legis illius citatae sit verbis, tum quod perfectum h. l. non aoristi, sed veri perfecti vim sustineat. At illud continuo reiicio, quod legis verba pendent a praesente: *iubent, vetant;* quemadmodum pendent in illo loco orationis pro Tullio a Peyronio et Orellio laudato a *vetant, furem occidi vetant XII tabulae, quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, nisi se telo defenderit.* At quum hic pendeant a *voluerunt,* quis probaverit, Ciceronem, quod perf. sit in ipsa lege, etiam hic idem tempus usurpasse; hoc autem propterea mihi non verisimile est, quod apud Latinos usus est imperfecti post perfectum, etiam ubi id non est perfectum historicum, sed ad praesentiam referendum est, aut sequentis verbi coniunctivo, tantum consilium, aut quod evenit, consequutum est, universe significare volumus. Sic v. c. Cicero Verr. Act. 1, 1. dicere debebat: *adduxi hominem in iudicium, in quo satisfacere exteris nationibus possetis,* quod *adduxi* non erat aoristus, sed praesens perfectae actionis. *ich habe eben jetzt vor's Gericht gebracht.* Nihilominus tamen *possetis* dicit, ita ut non significet, quid spectet in re, quam faciat, aut modo fecerit, sed in re aliquando facta. Cic. de petit. Consul. c. 4. *quoniam quae subsidia haberes, et habere posses exposui, nunc de magnitudine petitionis dicam.* Atque hic omnia ad praesens tempus referenda sunt, et tamen sequitur *haberes, posses, da ich jetzt auseinander gesetzt habe, was Du für Hülfsmittel hast, und haben kannst.* Phil. 9, 2. *Reddita est ei tum a maioribus statua pro vita, quae multos per annos progeniem eius honestaret; nunc ad tantae fa-*

miliae memoriam sola restaret. Quo in loco quisque facile consentiat cum Ernestio, qui correxit *restat,* pro *restaret;* idque in textum recepit. Atque me ipsum fateor eius exemplum in editione minore sequutum esse, quamquam sententia mutata, tuendam esse puto vulgarem scripturam. Quum igitur fere ubique, etiam tum, ubi praesens perfectae actionis usurpatur, ex linguae latinae usu sequatur imperfecti coniunctivus, non coniunctivus praesentis, longe verisimilius est, non *defenderit,* sed *defenderet* scribendum esse, quamquam non negaverim, *voluerunt* h. l. idem esse posse, quod voluerunt, et adhuc volunt; namque sic tantum sensum habent ea, quae Orellius scripsit in nota, id perfectum esse verum perfectum, quod alioquin non conveniret notioni, quae eo verbo significata est. Quo sensu si *voluerunt* ceperis, neque vero alio capi potest, etiam magis tum locus requirit *defenderet.* Quodsi denique Orellius dicit loco Gelliano a Garatonio laudato 2, 18. nihil, quod ad hunc locum attineat, effici: *furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut, quum faceret furtum — defenderet,* haud dubie oblitus est, propter eandem rationem *prenderetur* positum esse, propter quam *defenderet* positum sit, et sic inverso ordine; immo pendet, *qui prenderetur* enuntiatio relativa ab enuntiatione *permiserunt, ut defenderet se ab eo.* Itaque hic locus nihil aliud probat, nihilque aliud efficit, nisi perfectum *(permiserunt)* ἀορίστως usurpatum esse, seu ad rem, quae aliquando gesta sit, vel geri aut fieri possit, referri.

Cap. 4. *Etsi persapienter et quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi caussa vetat: ut quum caussa non telum quaereretur* etc.] Expunxit Orellius *modo* ante *hominem,* quod Garatonius tantum uncis inclusit, propterea quod sic longe alius sensus e loco prodiret, quam qui prodire deberet. Addita enim particula statuit, legem fuisse *hominem ne occidito,* quod, quum vel naturalis lex vetet, legislatori supervacaneum visum fuisse vetare, hominem occidi. Verum sive subtraxeris particulam, sive retinueris,

manet eadem sententia, atque lex iisdem verbis: *ne quis cum telo sit, hominis occidendi caussa,* concepta cogitari potest ac debet; sententiae exprimendae ratio modo alia est, ita ut una altera maiorem habeat vim. Si dixeris: *non modo hominem occidi, sed esse cum telo — vetat,* dixisti: *lex et vetat hominem occidi, et vero etiam iubet caedis caussam spectari;* nam quum telo ad hominem occidendum carere non possis, his verbis: *ut ne cum telo sis h. o. caussa,* occisionem hominis lex vetat, at quum teli usum non universe vetet, sed caussam eius spectet, exinde Cicero opinatur, a lege sic subobscure significatum esse, non quamvis occisionem simpliciter damnandam, sed eius caussam quaerendam esse. Si dixeris igitur: *non hominem occidi, sed esse cum telo h. o. c. vetat,* sensus est: *lex non simpliciter, per se, hominem occidi vetat, sed* (ut teli usum non simpliciter vetet et eius caussam quaeri velit) *caedis caussam spectandam esse subobscure significasse videtur.* Ex quo, quod diximus, patet, sententiam per se eandem manere, sive hac sive illa scriptura adscita, eloquendi rationem modo esse diversam, atque profecto particulae omissione maior etiam vis loco conciliatur. Atque haec quoque caussa fuit, cur Manutius in locis a Garatonio allatis, aliique particulam omittendam esse putarent. *Non modo* autem statuere cum Graevio et Moebio, significare h. l. *non modo non* perversa ista foret eius loci interpretatio, quoniam Cicero neutiquam dicere vult: lex non modo concedit occisionem, sed etiam occisionis caussam quaerendam esse praecipit, quum verbis: *ne cum telo sis* etc. lex aperte vetet occisionem et Cicero tantum legis verba sic interpretatur, ut iis obscure significari putet, non caedem per se damnari, sed caedis caussam spectari velle.

Cap. 6. *in qua P. Clodius occisus fuit*] Hic facere non possum cum Orellio, qui vulgatam *fuit* reiiciendam esse putavit, propter plurium codicum auctoritatem, qui *esset* aut *est* exhibent, et *esset* in textum recepit. Equidem non ignoro, Garatonium indicasse, Bavaricum et Erfurtensem etiam imperfecti coniunctivum exhibere; nihilominus

tamen retinuit in textu *fuit*. Atque sic ego prorsus hac in re iudico. Aegre auctoritate multorum codicum Lagomarsiniorum, ad quam Orellius provocat, moveri possum, ut *esset* praeferam vulgatae, *fuit*, qua omnino non video, quomodo quis offendi possit. Nam cur Orellius *fuit* barbarum esse dicat, et qui possit contendere, haec esse verba legis, in lege autem imperfecti coniunctivum saepe usurpari, dispicere nequeo. Neque enim id moris esse potest quasi in legibus, ut coniunctivus imperfecti usurpetur, cuius ratio ubique sibi constat, seu quo ut utamur certa nos ubique movere debet caussa, quemadmodum hic verba: *in qua — esset*, pendent a *tulit*, et subiunctivus propterea positus est, quod haec proferuntur cogitata a Pompeio; quanquam exinde temere concluderes, eandem sermonis rationem in lege ipsa, in qua vulgo directa est oratio, obtinere. At si prior ista enuntiatio relativa, hoc modo prolata erat, *quae in via Appia facta esset*, relata ad Pompeii mentem, nihil prohibet, quin addat ipse orator, tanquam rem gestam narret, *in qua Clodius occisus fuit*; quanquam igitur non minus recte *esset* dixisset, neutiquam damnari potest scriptura *fuit*, quam a librarii manu profectam esse aegre quis sibi persuadeat.

Cap. 7. *Num qua rogatio lata? num qua nova quaestio decreta est?*] Hic vulgatam scripturam contra Lambinum, Heumannum ad orat. pro Deiot. c. 10. et Garatonium Orellius defendit, et *quae* pro *qua* ponendum esse censet, quod dubitet, num latini scriptores omnino de subtili illo discrimine, quod grammatici statuant inter *si quis* et *si qui*, *si quae* et *si qua*, cogitaverint, immo promiscue scripsisse utrumque. Deinde vero etiam valde dubium esse dicit, an discrimen illud inter *si quis* et *si qui* transferri possit ad *num quis* et *num qui*. Verum non tam subtilior illa distinctio, quam aegre scriptor ubique animo conceptam habebat, ut a sententia Orellii recedamus nos movet, sed scribendi ratio quum esset fere constans usque ad argenteam aetatem, ut *si qua*, *num qua*, *num qui* dicerent, propter solennitatem eius scriptionis, puto cum Garatonio *qua* esse scribendum.

si unus ille cecidisset] Hic a Garatonio commendata scriptura optimorum codicum *cecidisset*, praeferenda est vulgatae *occidisset*, quam temere retinuit Orellius, si propter hanc caussam eam praetulit, quod non de eversione potentiae Pompeianae, sed de eius interitu sermo esset. Est sane de morte eius sermo, atque hic proprie vocabulum sumendum est, deinde improprie.

Cap. 10. *Quum hic insidiator — cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno impedimento, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.*] Quemadmodum *vulgi magno impedimento*, atque *vulgo magno et impedito* male se habet, et scripturae, quae non sunt optimorum codicum, ita ut de glossa interpretibus suspectum potissimum esset vocabulum *vulgi*, ita quae in Ernestiana et Schützziana editione obtinet, atque adeo ab Orellio retenta est, *paenulatus, magno impedimento* damnanda est. Quocunque enim modo ea interpreteris, sive *quasi rheda, uxor, paenula isti magno impedimento essent*, sive *cum magno impedimento*, neutrum latine dicitur, et nominatim Ciceronianae latinitati non convenit. Illud certe significare non possunt in hoc contextu ista verba, atque propterea hoc non significant, quod tum non singularis, sed pluralis poni solet, ut paullo post c. 21. *iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.* Recipienda est igitur lectio Sax. Erf. duorum regiorum Paris. codd. *magno et impedito*, quam Graevius, non item Ern. et Schützius receperunt, Garatonius autem egregie defendit. Cumulus adiectivorum Ernestium non offendere debebat, quod oratione ista, quae trahitur, comitantium incessum et multitudinem quasi sic imitari vult. Animi caussa memorem, Peyronium hic in textu non discedere a lectione, quae est in Ernestiana, *magno impedimento*, mentem autem suam de hoc loco aperuisse, se persuasum habere, *vulgi* natum esse e *vel, vil, ill*, proprie ut fuerit olim *illigatus etiam magno impedimento.* Sane monstrosam orationem, quam quisque abominetur. Eundem ut agnoscas in singulis verbis emendandis, uti in lacunis subodorandis et explendis v. c. c. 12. hariolantem

et expiscantem omnia veritatis exquirendae caussa, usquedum denique nubeculam pro Iunone amplectatur. Plus autem quam ista loci emendatione a critico nostro suscepta, offensus sum iudicio Orellii, qui Peyronii coniecturam dignam esse dicat, quae recipiatur ab editore futuro Schützio audacia pari; ex quo patet, coniecturam Peyronii eum certe non prorsus improbasse.

servi Milonis fecerunt] Haec verba, quae nullo in libro desiderantur, tanquam glossam Ern. et Sch. eiecerunt. Requirit ea sermonis ratio; namque culpam orator vult reiicere a domino ad servos, itaque sic ex oppositione tum demum suam vim recipit oratio: *si fecerunt id servi Milonis,* neque imperante, neque sciente domino, quodque quisque suos servos fecisse voluisset.

Cap. 11. *Si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam.*] Ante omnia hic memorandum mihi esse videtur, non tam *fieri* post *iure* cogitando addendum esse, quam *facere,* quia id requirit mea ex sententia sermonis ratio, qua haec verba: *si id iure* ad illa priora: *se servare potuerit* referenda sunt, ex quo etiam magis elucet, quantam glossematis speciem prae se ferat *fieri,* quod habent duo optimi codices Erf. et Bav. Quodsi Garatonius Ernestium vituperat, quod hic potius *potuisset* scribendum esse existimet pro *posset,* atque de hac re meliora docuisse Heusing. de offic. 3, 19.; mihi quoque persuasum esse profiteor, vix ullum de eius sententiae veritate amplius dubitare. At primum Orellius, quamvis *potuisset* merito damnaverit, caussam tamen non veram, certe non perspicuam attulit, propter quam non *potuisset,* sed *posset* scribi debeat, docens, voce *posset* oratorem τοῦ δυνατοῦ significantem cogitatione se transtulisse ad rem illam olim gestam, *potuisset* autem si dicere voluisset, rem, quae non fieri possit, neque facta sit, significasse. Haec profecto subobscure ab eo dicta, neque tam diligenter disputata esse videntur, ut ei, qui eius consuetudinis caussam scire cupiat, neutiquam satisfecerit. Accedit quod Ernestius, ut supra diximus, *si non iure potuisset, non habeo, quod defendam* scribi vult, Garatonius au-

tem unam hanc scripturam probet: *si id non iure possit, non habeo, quod defendam.* Quae quum ita sint, vel ista iudiciorum diversitas, vel notae Orellianae ambiguitas et brevitas me movent, ut quae de natura et usu imperfecti coniunctivi mihi usu venerint, et huc pertinere videantur, paullo accuratius exponam, ex quo facile patebit, oratorem *si id iure non potuisset, nihil habeo, quod defendam,* ex consuetudine latina dicere non potuisse, *si id iure non possit, non habeo, quod defendam,* dicere noluisse, *si id iure non posset, nihil* etc. unum dicere voluisse. Nimirum haec est apud Latinos imperfecti vis et natura, ut fere semper res eo significetur, certe ita repraesentetur, quae longius temporis spatium expleat, quae fuit et adhuc est, sive durans, eius rei discriminandae caussa; quae breviore tempore aut temporis momento conficitur, quam Latini perfecto significare solent. Atque eam vim servare mihi videtur imperfectum, vel in enuntiatione simplici vel in composita, sive haec sit talis, ut de re aliqua olim gesta agatur, sive talis, ut aliquid universe pronuntietur, quo in contextu post praesens imperfecti coniunctivus sequitur. Ut ab hoc locorum genere, qui naturam sive speciem adsciscunt sententiae universalis, qualis est hic, qui in praesentia tractatur, incipiam, sustinet etiam hic imperfectum propriam vim suam, qua significatur res, quae olim fuit, aut obtigit, atque etiamnum est. Nam quum dicam: *si id iure non facere posset,* non universe fieri aliquid non posse pono, sive sumo, uti v. c. si dixerim: *si id non facere possit, habeo* etc. sed dixi: si non potest nunc, atque aliquando non potuit, spectans casum quendam praeteritum sc. tum quum occideret Clodium. Nam quum in enuntiatione conditionali aliquid fieri posse ex iure et aequo, seu, quum aliquid licitum et iustum esse ponimus, dicere debemus aut: *si id iure facere* vel *non facere possis, non habeo, quod defendam, wenn das recht ist, oder wenn Du das mit Recht nicht thun kannst, kann ich Dich nicht vertheidigen,* aut: *si id iure facere non posses, non habeo, quod defendam, wenn das nicht recht wäre, oder wenn Du das nicht mit Recht thätest* (sc. *jetzt, wie*

damals, als die Handlung verübt wurde). Illud si dico, nullum certum casum aut tempus praeteritum spectans universe pronuntio *aliquid iure fieri* aut *non fieri posse;* hoc si dico, *aliquid iure fieri* aut *non fieri posse, quemadmodum olim certo quodam temporis momento fieri aut non fieri potuerit,* significo. Quapropter si orator hic dixisset: *si id non iure facere potuisset,* aliquid absurdum dixisset, quod aliquid iure fieri aut non fieri posse universe pronuntiaturus, tantum de certo quodam casu, tum quum ipsa caedes fieret, id praedicasset; inepta dicendi ratione usus fuisset, qua vulgo nostrae linguae usu, quanquam non accurato, decepti, Romanorum imperfecti coniunctivum tali in contextu v. c. *si id iure non facere posses,* interpretari solemus, *wenn Du das mit Recht nicht hättest thun können.* Nam quum constanter ad verba: *si fecisses, si facere potuisses,* cogitando addere debeamus: *olim, aliquando, antequam alia fierent,* ita ut fere semper nos cogitatione transferamus ad certum quendam casum praeteritum: in eiusmodi enuntiatione conditionali, ubi aliquid pronuntiatur universe, qualis hic est, Latini, naturam plusquamperfecti diligentius observantes, id tempus neutiquam adhibent. Itaque haec est vis plusquamperfecti in enuntiatione conditionali, ut quod sumimus fieri aut fieri posse, ad certum temporis praeteriti momentum referamus, ut quamvis aequum iustumque aliquid esse, aut ex iure aliquid fieri posse praedicemus, tamen recte adhibueris plusquamperfectum v. c. *si tu aliquam partem illorum bonorum, quae tum tibi concredita erant, non iure in usum tuum convertere potuisses, non habebam,* aut *non habuissem, quod defenderem,* quoniam, certam praeteriti temporis partem sive momentum spectantes, aliquid iure fieri posse dicimus, sive quoniam dicimus, si tum temporis v. c. quum tibi concredita essent bona, quae postea fortassis tibi non amplius concredita fuerunt, aut tua facta sunt. Hinc Cic. Brut. c. 10. *non tantum laudis Ulyssi Homerus tribuisset, nisi iam tum esset honos eloquentiae,* recte dicit, quod significare vult honorem olim tributum esse; iam vero addere debet id

etiam, quod illud effecit eloquentiae existimationem, tanquam praeteritum et factum proponere, *nisi eloquentiae honos fuisset;* at imperfectum ponit, quod etiam hic vim sustinet suam atque conditionem sive caussam illius honoris tanquam rem proponit, *quae olim erat, et adhuc est.* Quanquam negare neutiquam possim, eiusmodi locos, ubi sequatur plusquamperfectum post imperfecti coniunctivum aut indicativum v. c. Liv. 2, 10. *pons sublicius iter dedit, nisi unus vir fuisset,* quorum numerum in immensum augere possis, non esse prorsus consimiles nostro, quoniam nostro loco universalis sententia comprehenditur, ita ut simul ad certum quendam casum referatur plusquamperfectum et non nisi tum usurpetur, ubi, quod pronuntiamus, ad unum casum praeteritum, ad unam rem aliquando gestam referatur. Quapropter nostri loci rationem magis etiam illustrari puto loco illo orationis pro Ligar. c. 9. *magni animi est, et viri fortis, quem de suscepta caussa nulla vis depellere posset,* qui a multis aliis interpretibus ac nominatim ab Ernestio impugnatus est, qui contendit, sic scribi debere, aut *est* — *sit,* aut *esset* — *esset.* Verum quod saepe memoravimus, etiam hic imperfectum, naturam suam servans, rem aliquam fuisse et adhuc esse significat. Neque enim hic Cicero aliquid universe pronuntiare vult de ullo, qui a partibus suis non recedat, sed spectat Tuberones, atque vult dicere, cum alios omnes, tum etiam Tuberones, qui se olim non deterreri passi essent, esse viros fortes. Vult igitur praedicare omnino virtutem omnium eorum, qui ita agant, tum vero etiam Tuberonis. Quemadmodum igitur tali imperfecto res significata est, quae olim valuit, atque etiam nunc valet, ita idem de imperfecto nostri loci praedicem: *nihil habeo, quod defendam, si id non iure facere posset,* quo, quod illud fieri eo sensu sumendum est, ut cum referatur ad illum casum Milonis sese defendentis, tum ad omnes similes casus. Ipsam autem loci utriusque similitudinem efficere, ut quam absurde et inepte hoc loco plusquamperfectum usurpetur, quisque facile videat; nam non minus inepte hic dixeris: *magni animi et viri fortis*

est, quem a suscepta caussa nulla vis depellère potuisset; quanquam nos vulgo dicere, apto temporum ordine contemto: *es zeigt von einem wackern Mann, den von der einmal ergriffenen Partei nichts zurück zu halten vermocht hätte.*

At quoniam diximus imperfectum vim suam, qua rem durantem proponat, certe talem repraesentet, non tantum in iis locis servare, ubi aliquid universe pronuntietur, ita ut idem referatur ad rem, quae olim evenit, aut gesta est, sed etiam, ubi de re aliqua olim gesta narretur; de hoc quoque genere nonnullos locos afferamus. pro Archia c. 7. *Africanus et Laelius, si nihil ad virtutem litteris adiuvarentur, nunquam se ad eas contulissent.* in Verr. 2, 1. *Carthago non facile concidisset, nisi Sicilia classibus nostris pateret.* in Catil. 2, 2. *ac si, sublato illo, depelli a vobis omne periculum iudicarem, iampridem ego Catilinam cum vitae periculo sustulissem.* pro Mil. c. 17. *quam concionem Clodius, nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquisset.* c. 29. *Etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare,* (Pompeius Clodium) *propter rempublicam non fecisset.* c. 15. *quem qui tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur.* Quibus e locis clarius etiam patet, quam facile, nostrae linguae usu decepti, in imperfectorum locum temere substituamus plusquamperfecti coniunctivum, ita ut sit *adiuvarentur* pro *adiuti fuissent, iudicarem* pro *iudicassem, approperaret* pro *approperasset, vellet* pro *voluisset* etc. quoniam vernacule dicimus: *wenn ich nicht geurtheilt hätte, wenn nicht förderlich gewesen wären, geeilt wäre.* Verum non omitti debet, etiam in tali temporum sive rerum consequutione Latinos rectius ponere imperfectum, quod res saepe significatur, quae sua natura non brevi tempore aut uno temporis momento olim facta est, sed quae longius per temporis spatium fiebat, sive gerebatur. Etiamsi res per se sic non gesta sit, certe talis imperfecto saepe proponitur.

Quod si ita putasset, certe optabilius fuit Miloni dare iugulum Clodio] Hic Garatonius simpliciter Ernestii opinionem, qua *fuisset* scribendum esse putat pro

fuit, quod pendeat a *putasset*, damnat laudans Heusing. de Offic. in praef. p. 69. At quum vel illo in loco non satis accurate de indicativo in tali contextu adhibito edoceamur, neque omnino in libris grammaticis, quae huc pertinent, diligenter et satis subtiliter tradita sint, hic plura iuvat de usu isto loquendi disputare. Omnis illa offensio, quam affert iste indicativus, tollitur, si sententiae ipsius naturam, et, si enuntiatio est composita, duarum sententiarum, quae coniunctae sunt, rationem diligenter indagaveris et inter se comparaveris, quemadmodum omnino ratio sententiarum grammatica tum demum cognoscitur, si logica ratio perspecta est. Quodsi aliquid e rationis praeceptis propter utilitatem, aut ex votis nostris fieri debere aut esse statuimus, v. c. *aequum est, omnium maxime parentes colere*, eam necessitatem refero ad certum quoddam temporis praeteriti momentum, atque in ambiguo relinquitur, utrum aliquando sive tum temporis parentes re vera culti fuerint, necne. Quum igitur praesenti utimur, et universe aliquid fieri debere pronuntiamus, necessitatem, ut ita dicam, actionis moralem per se spectantes: *aequum est, omnium maxime parentes colere*, nemo quaeret aut curabit, num revera ab aliquo parentes culti sint, aut colantur; at si dico: *aequum erat, colere parentes*, non universe aliquid, sed de re aliqua olim gesta aliquid praedico, et incertus quum sim, *utrum revera culti fuerint, necne*, id e reliquo sermonis contextu cognosco. Qui si talis est, ut rem, quam necessario olim faciendam fuisse, aut fieri debuisse statuimus, consequuturam fuisse significemus, alia addita enuntiatione, qua non dicimus, sed ponimus factum esse aliquid v. c. *si pater superstes fuisset, aequum erat, etiam tum eum colere; si tum pecunia tibi suppetebat, non opus erat, aliorum opem implorare; si tu libros tum habuisses, aequum erat, eos legere*, aperte consequitur, id quod aequum, utile fieri debuisse statueris, non factum esse. Nam quum talem formemus enuntiationem conditionalem, ut ponamus aliquid *olim factum esse*, aut *fieri olim potuisse* statuamus, ita ut ad res gestas, ad tempora praeterita nos transferamus, ex ipsius

sententiae sive enuntiationis natura patet, nos aliquid praedicasse, quod non revera factum sit; neutiquam autem id modo significatur indicativo. Itaque nos quoque in tali contextu et indicativo et subiunctivo modo uti solemus, quamquam illo usu efficacius, simplicius et maiore cum vi, hoc usi ambigue nec satis accurate loqui solemus. *Du musstest dies thun — es war recht — wenn der Vater noch lebte, so musstest Du* etc. *wenn Du Geld hattest, so borgtest Du nicht*, atque etiam *Du hättest müssen — es wäre recht gewesen — wenn Du Geld gehabt hättest, so würdest Du nicht geborgt haben.* Itaque verum manet, omnino tales enuntiationes conditionales non modo subiunctivo aut indicativo eam vim accipere, ut significetur, fieri debuisse sive potuisse, quod tamen non factum sit, sed ipsius sententiae natura sive eo, quod ponimus sive sumimus, aliquid olim factum esse. Nam si quid revera factum est, non opus est, ut id ponamus. Temporum historicorum usu enuntiationibus istis ea vis conciliatur, non modorum. Quemadmodum igitur latine saepissime dicitur, tu debebas hoc facere, haec via tibi ingredienda erat, ita in conditionalibus illis enuntiationibus v. c. de fin. 4, 23. *si verum respondere velles, haec erant dicenda.* De nat. Deor. 1, 17, 45. *si nihil aliud quaereretur, satis erat dictum,* imperfecti indicativus adhiberi solet. Liv. 4, 52. *iam fames quam pestilentia tristior erat, ni annonae erat subventum* pro *fuisset, wäre eingetreten Hungersnoth.* Plin. Paneg. 8. *temere fecerat Nerva, si adoptasset alium, ac Traianum.* Liv. 2, 10. *pons sublicius iter hostibus dedit, ni Cocles fuisset.* Quapropter haec ratio apud historicos latissime patet, quanquam Cicero imperfecti vel perfecti indicativum non ponere solet, nisi in verbis iis, quae ut *debere, oportere* part. fut. pass. cum *esse* etiam in simplici enuntiatione sic usurpari solent, atque etiam in iis verbis raro hanc rationem sequitur. Hinc Garatonius ex eadem nostra oratione c. 22. *quos nisi manu misisset, tormentis etiam dedendi fuerunt* affert, qui locus ab interpretibus profecto non labefactandus erat. Similis est locus in Vat. 1. *Etenim debuisti, Vatini, etiamsi falso ve-*

nisses in suspicionem P. Sextio, tamen mihi ignoscere. Du hättest müssen, Sie hätten müssen nos vulgo dicere solemus.

Cohaerent autem haec arctissime cum iis, quae de enuntiationibus conditionalibus tradenda sunt, quibus aliquid ponitur, quod tamen non est, ubi Graeci solent constanter usurpare indicativum temporum historicorum: *εἴ τι εἶχεν, ἐδίδου ἄν.* Eurip. Troad. 401. *εἰ δ' ἦσαν οἴκοι 'Αχαιοί, χρηστὸς ἂν ἐλάνθαν' ἄν, si domi Graeci mansissent, optimi virtus non innotuisset.* Plat. Phaed. p. 165. *εἰ μὴ ἐτύγχανεν αὐτοῖς ἐπιστήμη, οὐκ ἂν οἷοί τ' ἦσαν τοῦτο ποιεῖν, nisi inesset, non possent.* Atque etiam hic apparet, non modorum sed temporum historicorum, imperfecti et aoristorum usu praecedente *εἰ* seu ipsius sententiae natura effici, ut id, quod ponatur esse, non factum esse, id quod ponatur non esse, factum esse significetur; quemadmodum etiam nos in tali enuntiatione utrumque modum adhibere solemus, *wenn er es hatte, so gab er es,* et, *wenn er es gehabt hätte, wenn die Achaeer zu Hause blieben, so blieb der tapferste unbekannt,* et, *wenn die Ach. zu Hause geblieben wären, so wäre der tapferste unbekannt geblieben,* porro: *wenn nicht in ihnen diese Kenntniss wäre, konnten sie dies nicht thun.* Nimirum si duas sententias enuntiatione conditionali ita comprehendo, ut aliquid universe pronuntiem, et praesente tempore utor, *si Deus homines amat, res eorum curat, si tu hunc librum habes, de ea re te edocere potes,* nemo eorum quidquam, quod hic affirmatum est, in dubium vocabit, aut dubitabit, an revera ita sint. At si dico: *Si tu illo tempore valebas, pecunia facile carere poteras, eo negotio facile perfunctus esses;* aut, *si tu libros olim habuisses, aequum erat, eos legere,* tum non universe pronuntio, ex aliqua re, quam ponimus, aliud quid consequi, sed de re olim aut facta, aut facienda, aliquid indicamus. Ponimus sive sumimus aliquid, quum nos cogitando transferimus ad certum temporis praeteriti momentum, ad res olim gestas, quo fit, ut, quum ponimus aliquid esse, sive talem enuntiationem conditionalem formamus, id non esse vulgo significemus, quod ponamus. Mirari igitur subit, quod lingua latina, in qua for-

mulae sint illae haud raro obviae, *par erat, aequum erat, optabile fuit, tu debebas hoc facere*, quaeque in altera parte, ac nominatim in primaria parte enuntiationis huius generis conditionalis, quae refertur ad res olim gestas, imperfecti indicativum usurpet v. c. *dedit iter pons sublicius, ni Cocles fuisset*, quae denique in tam multis rebus graecae linguae usum imitata sit, plenam tamen illam enuntiationem conditionalem non expresserit.

quod multis in caussis saepe quaesitum est] Garatonius propter optimorum codicum auctoritatem Fabricianum et Bavaricum sequutus est. *Iam* a Graevio, Ern. et Schützio omissum est; in vulgatis exstat: *quod multis antea in caussis iam quaesitum est.* Peyronius et Orellius dederunt palimpsestum sequuti: *quod multis in c. saepe quaesitum est.*

Cap. 13. *Et adspexit me illis quidem oculis*] Quemadmodum doctissimus Peyronius longiore loco, qui deest in eodem capite nostrae orationis ante verba: *solutam autem fore*, qui omnibus in libris vel scriptis vel editis desideratur, in codice palimpsesto invento, lacunam in textu esse, eiusque codicis ope egregie expleri docuit, ita hic quoque ante verba: *Et adspexit* etc. plura excidisse suspicatur. Nimirum Cicero postquam acerrime et gravissime a P. Sextio postularit, bis terve exclamando *exhibe, exhibe librarium legum*, ut leges a se conditas expromat P. Sextius, et quisque exspectet, fore ut una vel altera lex ab ipso recitetur, sic pergere Ciceronem: *Et adspexit me* etc. Quanquam aegre omnino quis in eam opinionem adducatur, hic plura excidisse, (ad quod praeterea ipsius Quinctiliani auctoritas accedit, qui quum lib. 9, 2, 55. et 57. hoc ex loco reticentiae oratoriae exemplum petierit, quemadmodum paullo ante simile ex oratione de aere alieno Milonis sumserit, omnem eximit suspicionem, quam oratio sic abrupta afferre potest, atque praecipit adeo nobis, ut eam hic abruptam esse statuamus) quanquam nemo est, quin istam hariolationem lacunae leni risu excipiat, tamen in ista, quam auguratur, lacuna explenda mirificus est artifex, ut eius sagacitatem in

laciniis, quibus deficientem orationem compenset et contexat, investigandis, vel ingenii sollertiam in iis concinnandis valde mireris. Quum igitur, ait, semel persuasum habuisset, ibi plura excidisse, se rhetores ac nominatim Quinctilianum adiisse, loci alicuius exquirendi caussa, qui forte illi adaptari posset, atque invenisse eum Inst. Orat. 9, 2. haec verba utpote ex oratione Miloniana citata: *an huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? de nostrûm enim omnium, — non audeo totum dicere.* Atque haec continuo se accommodant illo interprete, ad contextum illius orationis. Ex eo, quod legitur *vivo Milone,* auguratur, Ciceronem ibi demonstraturum fuisse, quam Clodio profutura fuisset mors Milonis et intelligit, quum dicat non *gloriabatur,* sed *gloriatur,* non P., sed Sext. Clodium. Iam ei nihil certius est, quam haec verba esse illa ipsa, quae exciderint. Quaeritat igitur, quaenam sit illa lex. Denuo, tanquam bonus venator lustrat oculis et circumvagatur ubique, vestigia legis illius an forte deprehendat. Incidit in locum scholiastae codicis Ambrosiani ad Cic. orationem de aere alieno Milonis (M. T. Ciceronis 6 oratt. partes ed. Maio Mediol. 1817.) ibique mentio fit legis de libertinorum suffragiis, quam Clodius laturus erat, et inter alia haec etiam textus verba a scholiasta citantur: *atque per — — de nostrorum omnium: non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.* Quo ex loco quum proprie argumentari debebat, illum locum apud Quinctilianum non nostrae esse orationis, sed ex oratione Ciceronis de aere alieno Milonis, cuius adhuc extant fragmenta, desumta esse, hariolatur potius e verbis *vivo Milone ne dicam consule,* quippe quae non esse possint disputantis de aere alieno Milonis, id fragmentum pertinere non ad illam orationem, sed ad nostram, atque sic, vel ipso auctore, vel locos alibi apud Quinctilianum et scholiasten inventos concinnante hoc opus musivum componitur: *Atque permultas leges praeter ius et aequitatem excogitatas quum recitare possem, unam tantum exponam,*

iudices, ceterarum omen atque firmamentum. Ille enim maiora suis legibus suffragia, atque latrociniis arma comparaturus constituerat, ut servis, qui privata dominorum voluntate, manumissi in libertate morabantur, iusta libertas ac civitas Romana cum suffragiis in rusticis tribubus ipso iure daretur. Iam sequuntur illi loci apud Quinctil. et Schol. *an huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur — — — Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est. Et adspexit me* etc. Sufficeret sane ad illam de lacuna opinionem eiusque mirificam compensationem haec simplex artis desultoriae in locis captandis, adaptandis, concinnandis enarratio. At res sic non confecta aut expedita mihi esse videtur, nisi ante cum Garatonio digladiatus sim, quocum etiam facit in editione sua Orellius. Quae igitur genuina sive a Ciceronis manu profecta adeoque ex hac nostra oratione sumta, ad lacunam, quam in hoc loco omnium unus Peyronius subodoratus est, explendam pertinere, Garatonius, Peyronius, Orellius existimant, sunt verba illa: *an huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? — de nostrûm enim omnium — non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.* Atque Orellius verba ista, quo magis indicetur, ea esse indubitata Ciceronis verba, non aliis litteris excudi curavit, quam quibus reliquus contextus repraesentatur, distinctis tantum iis litterarum forma, quae Peyronius ad lacunam supplendam ex sua officina suppeditavit. Quod Garatonium attinet, iamdudum is locum Quinctiliani et illum ab interprete codicis Ambrosiani, qui orationis de aere alieno Milonis fragmenta exhibet, citatum, tractavit, atque utrumque coniungendum esse docuit ad cap. 32. Milonianae, *nostris servis addiceret*, quam notam dissimulans se legisse, Peyronius gloriatur, se felici quodam casu vel in Quinctiliani illum locum vel in Ambrosiani interpretis notam et alios doctrinae et sapientiae thesauros incidisse. Est igitur haec mens Garatonii, legem de suffragiis libertinorum,

quam Clodius laturus esset, quaeque vel in illo loco nostrae orationis, cui adscripsit notam suam, vel in illo fragmento orationis de aere alieno et in Quinctilianeo memoratur, non vivo Clodio habitam esse, sed post mortem demum eius e scrinio a Sextio Clodio proditam esse, qui uti haud dubie e loco Quinctiliani auguratur, se auctorem eius esse apud suos gloriatus sit. Exhinc suspicatur non ex illa oratione de aere alieno, quae in Clodium in senatu praesentem habita est, quanquam duplicem legem in notis ad fragmentum significatam esse putat, sumtam esse, sed e priore sive altera oratione pro Milone, quae ab ipso Cicerone in foro haberi coepta est, quam perorare a Clodianis prohibitus, postea multa omittens et mutans, diligentius perscripsit. Refert autem hanc suam sententiam ad verba Asconii in fine argumenti orationis Milonianae: *manet quoque illa excepta oratio. Hanc nostram deinde accurate perscripsit.* At primum, cum Orellio hac in re consentiens, omnino valde lubricum esse statuo, ex illa oratione Ciceronis pro Milone altera sive priore a scribis excepta, quae ne ad finem quidem ab eo recitari potuit, illa excerpta esse, sumere, ideoque persuasum habere, illam orationem Milonianam eius formae tunc temporis, quum Quinctilianus viveret, adhuc extitisse. Quidni igitur, priusquam ad tales hariolationes valde periculosas et ancipites confugiamus, illud fragmentum, potius dicamus esse orationis de aere alieno, quod etiam illis fragmentis superscriptum est. Est sane valde arduum, negare, fragmenta esse illius orationis, cuius eadem esse, in ipso codice antiquo superscriptum est, et nisi gravissimis rationibus movearis, ut ab ea sententia recedas et evidentissimis argumentis rem tuam probare possis, profecto temeritatis et insolentiae id esse iudico. Itaque non idoneam rationem esse eam dixerim, qua certe videtur Garatonius commotus esse, ut crederet, non ex illa oratione de aere alieno Milonis in Clodium praesentem in senatu habita locum illum petitum esse, quod ea lex non vivo Clodio, sed mortuo demum eo e scrinio protracta esse possit a Sextio Clodio, qui se eius auctorem esse apud suos gloriatus sit. Cur enim non

statuamus illa ipsa verba, quae sunt e loco Quinctiliani et fragmenti codicis Ambrosiani composita, Ciceronem in interrogatione illa senatoria in Clodium vivum illo ipso anno, quo praeturam petiit, et occisus est, dixisse? Enumerasse foeda illa flagitia Ciceronem etiam hac in interrogatione, quibus Clodius contaminaverat vitam publicam et privatam, patet cum ex omnibus fragmentis eius orationis, tum e notis ab interprete antiquo adiectis. In quarto capite eiusdem orationis non nisi de perniciosa lege de libertinorum suffragiis, quam Clodius laturus erat, Cicero agebat, et si inter alia diceret: *an huius ille legis, quam Clodius* etc. quidni ad tempus personarum rerumque conditionem accommodate haec Cicero dicere poterat? Nimirum opinio erat, quod e notis proximo fragmento superiori adscriptis patet, Clodium eam legem rogaturum esse, quam Sextius Clodius, eius satelles, a se inventam gloriatus esset. Rogat igitur orator, num Caius Clodius, qui Milonem obaeratum ad consulatum non admittendum esse in senatu censuerat, illius legis perniciosissimae mentionem facere ausus esset Milone ad reipublicae clavum sedente, quum id non ausus esset, dum omnino viveret Milo, quo magis eluceat, Clodium, modo ut consilia prava sua exsequeretur, non tantum consulatui Milonis insidiari, sed etiam vitae. At sic etiam responsum est ad argumenta, quibus Peyronius ista verba esse Milonianae nostrae demonstrare conatur, et satis patet, quam multa sint in illis, quae temeritatem prodant maximam. Miratur enim, quo tandem modo Cicero in oratione ad ipsum Milonem in senatu praesentem habita, *an huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule?* dicere potuerit, quum neque de nece Miloni illata, neque de ei inferenda agatur. Haec non magis, quam quae sequuntur: *videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est,* dicere oratorem potuisse censet, priusquam Clodius in Milonem invasisset in via Appia, et in ea pugna Clodius occisus esset; ex quo patere, illud fragmentum pertinere ad nostram Milonianam, non ad illam de aere alieno Milonis.

Verum non opus est, ut tam perversa illorum verborum interpretatio, quae ipsa temeritatem suam aperiat, pluribus adhuc refellatur. Immo putamus ex iis, quae de loco illo ad reliquum orationis de aere alieno Milonis oontextum sane accommodatissimo, modo ante disputavimus, satis elucere, locum a Quinctiliano citatum et fragmentum orationis de aere alieno a scholiasta servatum, quorum uterque ita sine controversia cohaeret, ut ille priora addat, hic apud Schol. sequentia: *videte, quid ea vitii lex* etc. non ad nostram Milonianam, quod Garatonius, Gesnerus ad locum Quinctiliani, Orellius, quanquam aliis rationibus, quam Peyronius, adducti, suspicati sunt, pertinere, sed ex oratione de aere alieno Milonis sumtos esse.

Quare etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in inimico meo crudelitatem expromsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.] Qui locus neque correctione sanandus est, quam Bremius nuper tentavit, *quum* addens ante *laudare non possum*, quod probat Orellius, neque ex certo quodam usu, quo, uti Huldricus ab Orellio citatus ait, ante adversativas particulas *quidem* omittatur, explicandus, nec denique verborum transpositione adiuvandus. Ac primum quidem vulgata lectio memoranda est, qua locus sic est concinnatus et conceptus: *quam rem etsi necessario fecisti, tamen quoniam in meo inimico crud. expr. tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.* Hic ordo verborum sententiarumque profecto talis est, qualis quodammodo etiam ille a Graevio et Garatonio tanquam verus ex optimorum codicum fide constitutus existimari debet i. e. perplexus et subobscurus, ut lucidum ordinem merito Ernestius demum restituisse praedicari possit, sic scribens: *quam rem, etsi nefarie fecisti, laudare non possum, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem expromsisti tuam, irasci certe non debeo.* Qua verborum transpositione locus aliquantum lucis accepisse videtur, neque tamen ita, ut omnis offensio sublata sit. Verum hic quaeri debet, qualis ordo in optimis codicibus v. c. Sax. duobus Graev. et Lallem. deprehendatur, et num locus sic constitutus, si recte explicetur, quid-

quam offensionis habeat. Ac primum quidem recte observavit Garatonius vulgatam: *quam rem etsi necessario fecisti* male se habere, quod necessitatem haec faciendi nihil imposuerit Clodio, et *nefarie* esse legendum. Deinde *quare* pro *quam rem* veram scripturam esse docuit Graevius, probavitque Garatonius. Quod autem attinet reliqua verba, omnis offensio sublata est, quae Ernestium, ut locum illo modo concinnaret, commovit, aliosque interpretes tantopere vexavit, ut sensus eorum nondum prorsus perceptus sit, si verba: *laudare non possum* seorsim, neque contexta cum reliquis spectaveris, neque ad particulam adversativam *tamen,* neque ad sententiam: *quoniam in inimico meo crud. expromsisti tuam* retuleris, ita ut per se constet ea sententia, quod vocis modulatione in recitando orator facile significet, et ita locum distinguas: *tamen, quoniam in inimico meo crud. expromsisti tuam — laudare non possum — irasci certe non debeo.* Neque enim magis absurdum foret, coniungere: *tamen, laudare non possum,* quam *quoniam in inim. meo crud. expr. tuam* coniungere cum *laudare non possum,* quasi id laudare non posset, quod in inimico suo expromsisset crudelitatem. Cohaeret igitur *tamen* non cum verbis: *laudare non possum,* sed cum verbis: *irasci certe non debeo,* adeo ut *certe* hic sit propter *tamen* superfluum. At, ut fit, propter locum longiorem intermissum, et quae seorsim quasi proloquutus erat, oblitus quasi restrictionis priore particula expressae, denuo *certe* addit. Converti igitur sic debet locus totus: *Das war zwar ruchlos von Dir gehandelt, doch, da Du an meinem Feinde Deine Grausamkeit ausliessest — loben kann ich's nicht — hab' ich auf Dich böse zu sein zum Wenigsten nicht Ursache.* Ex quo patet, nos etiam supersedere posse illa explicatione, quam Huldricum in programmate aliquo exhibuisse narrat Orellius, qui ante adversativas saepe *quidem* omitti docet, ideoque ad illa: *laudare non possum* cogitando addendum esse *quidem.*

solutam autem fore videbatis, ni esset is Consul] Ante haec verba Peyronius (vid. librum in praefat. laudatum) plura perscripta deprehendit in folio cod. palimpsesti Tau-

rinensis textum exhibentis Milonianae inde a medio capite 13. *occidi Milonem* — usque ad finem eius capitis *iustum fuisse*, quae in omnibus codicibus adhuc cognitis desiderantur. Verum sententiae et res, quae ibi narrantur, tam accurate cum totius orationis argumento cohaerent, ut lacunam merito illis verbis expletam esse praedicari possit; quod ad dicendi genus attinet, nihil omnino est, quod vel in verbis vel in omni scriptione non Ciceronianum agnoscas. Sub finem igitur capitis 11. dixerat orator, hic quaeri, uter utri insidias fecerit, id autem tum facillime perspici posse, si ad liquidum perductum sit, cui bono fuerit i. e. uter ex alterius morte maiorem utilitatem se capturum esse sperare potuerit. Itaque docet, Clodio Milonis morte spem propositam fuisse, fore ut iis consulibus praetor esset, qui eius licentiam et furores in reipublicae bonis diripiendis et in novis legibus rogandis non cohiberent. Deinde vero docet, Miloni contra in Clodii morte nullam spem propositam fuisse; at id demum, si locum illum palimpsesti non adsciveris, facit a verbis: *at nunc, Clodio remoto.* Quum igitur in loco palimpsesti, ante verba modo memorata, inserto Cicero demonstret, Clodii morte Miloni omnem gloriae comparandae materiem subtractam esse, spem ipsam in Clodii morte Miloni nullam fuisse, sive Milonem, cur mortem Clodii optaret non habuisse, luce clarius est, loco demum illo adsumto orationis seriem seu contextum ante interceptum, restitui, atque proxima, quae adhuc in omnibus codicibus legebantur ante verba illa: *at nunc, Clodio remoto*, quae aliorsum spectare videbantur: *praeturam prop. solutam — liberare?* quem sensum habeant, quo spectent, aperte cognosci. Illud modo dolendum est, quod etiam ante verba inserta multa adhuc desunt.

Cap. 14. *Quid ergo?*] Merito lectionem Bavarici damnavit Orellius, *quid ego?* Neque enim se comparare vult cum Milone aut Clodio, neque de se loqui instituit orator, sed iniurias, quas vi intulerat multos ante annos, memorare incipit.

Cap. 16. *rumorem, fabulam fictam, falsam, levem perhorrescimus.*] Garatonius et Orellius *falsam* propterea maxime omittendum esse putarunt, quod huius vocabuli incerta sit in codicibus sedes, ideoque de glossa ea suspecta sit. At ego non continuo propter hanc caussam eam eiecerim, quum constanter libri manuscripti eam exhibeant, praesertim, quum distingui quodammodo possit inter falsam et fictam fabulam. Fabula sive narratio, quae tota est inventa, aut quam quis totam commentus est, ficta dicitur, sed narrationi de aliqua re gesta si quid additum aut subtractum est subdole, ea dicitur falsa. Accedit, quod saepe coniunguntur *falsus fictusque*, v. c. de Div. 2, 11. *testes falsi fictique.* Quinct. 6, 3, 92. *fabulam falsam in testamentum intulerat;* et quod olim iam in Garatonio improbaveram, quod *levem* ad rumorem, non ad fabulam referri vellet, quum ad utrumque pertineat; *levis* fabula est, quae non certo quodam fundamento nititur, profecta ab hominum levitate ad verum exquirendum haud curiosorum. Nunc video, Orellium etiam rem attigisse. Paullo post, in verbis: *Quid? quod caput est audaciae,* neque cum Garatonio, neque cum Orellio facere possum, quorum uterque oratorem arguit λογικοῦ παροράματος, quasi hoc unum idemque sit, si continuo dicit, quis ignorat, *maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem?* et *audaciae* suspectum reddunt. In quo neutiquam consentio. Cicero enim dicit: Eos, qui (audent) i. e. vel sanctissima violant, qui vel cum vitae periculo suis libidinibus indulgent, audentiores aut fortiores etiam reddit impunitatis spes, quae omnino peccandi est maxima illecebra. Itaque egregie isthaec cohaerent, quoniam *audere* et *peccare* illi duumviri unum idemque esse non merito existimarunt.

At quo die? quo, ut ante dixi, — fuit insanissima concio — ab ipsius mercenario tribuno plebis concitata.] Recte distinguit Garatonius *fuit insanissima concio* a sequentibus interpunctione, qua locum secundum scriptionem cod. Asconii, Erf. Bav. ideoque optimorum codicum constitutum apertiorem reddidit. Vulgata scriptura, quam Heu-

mannus, Ernestius, Schützius sequuti sunt: *quo, ut ante dixi, insanissima concio — — — est concitata.* Merito dicit Garatonius, *fuit* idem esse, quod *habita est.*

Cap. 17. *omnes scilicet Lanuvini.*] Garat. et Orellius ea verba uncis incluserunt. Equidem uncis, quasi suspecta essent, non putavi notanda esse. Neque enim glossae vestigia iis impressa sunt, praesertim quum ea in nullo codice desiderentur.

Cap. 18. *Videte, iudices, quantae res — sunt confectae.*] Nisi aliunde constaret, non ita raro tali in contextu Ciceronem indicativum adhibere, hic certe singularis atque insolita dicendi ratio sic explicari posset, ut diceres, non unam esse sententiam, sed vocabulum *videte* singularem sententiam constituere, quae per se spectari possit.

Primum certe liberatur Milo, non eo cons. profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe — si ille obvius ei futurus omnino non erat.] Sic locum in contextu ex usu quodam loquendi non infrequenti distinguendum esse putavi. Garatonius loquendi quadam consuetudine, quae hic obtinet, utpote a Tulliana abhorrente offenditur. Quanquam enim ex analogia, quoniam dicatur *quippe quum, quippe quia,* etiam *quippe si* dici posse concedat, tamen quum exemplum desideret, ab optimorum codicum, qui constanter exhibent: *quippe si ille ei,* quod Graevius recepit, auctoritate recedit, et Naugerianam scripturam a Lambino et Ernestio codicibus invitis expressam: *quippe qui obvius ei futurus omnino non erat* recipit. Quid autem? si tueremur vulgatam, quae codicum optimorum auctoritate firmatur, et illam offensionem, quam ista efficit dicendi ratio, removeremus, interpunctione, usum quemdam coniunctionis *quippe* non rarum notantes? Saepe enim est *quippe* respondentis, ut sit: *nun ja, versteht sich, freilich,* ita ut prior sententia repeti debeat, deinde addatur aliquid, seorsim quod spectetur, explicandi caussa. Locus nostro non absimilis, quod etiam Goerenzius observavit, est de Fin. 4, 3. *Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte et rotunde: quippe — habes*

enim a rhetoribus. Is locus nobis repraesentat istum coniunctionis usum et contractum dicendi genus. Nam post *quippe* orationem quasi abruptam esse deprehendimus, atque repeti debet, quum dicimus: *nun ja, freilich,* prior sententia: *a te apte et breviter dicuntur,* atque propterea hic non sic, ut plerumque distinguitur, ; ponendum, sed potius reticentiae signum adhibendum esse puto. Itaque etiam post *quippe* cogitando addi debent: *eo consilio non poterat proficisci.* Difficilior igitur loci ratio, quam exhiberent codices plurimi et optimi, quum interpretando sat lucis loco afferri poterat, praeferenda erat. Sic pro Mur. c. 19. *recte igitur diceres, te restituisse? quippe.* pro Mur. c. 35. *Ergo ad coenam petitionis caussa si quis vocat, condemnetur? quippe.* E quibus luculenter patet, Goerenzii rationem sic distinguentis et scribentis ad locum de fin. supra laudatum: *quippe; obvius ei futurus omnino non erat,* quanquam recte observavit coniunctionis, qui subinde obtinet usum, non probari posse. Orellius amplectitur Goerenzii rationem in nota, in contextu locum sic imprimendum curavit: *quippe [si ille] obvius ei futurus omnino non erat.*

Paullo post: *Igitur ne Clodius quidem* vocem *igitur,* quam primus omisit Ernestius, recte recepit Orellius, qui quod attinet ad sequentia: *si quidem exiturus ad caedem* etc. etiam bene observavit, quum *si quidem* primam hic obtineat significationem, atque non sit *quandoquidem,* sed *wenn nämlich,* quod verba isthaec sunt oratoris respondentis, divisim scribendum esse.

Cap. 19. *Quid afferebat festinationis, quod heres erat?*] Quo in loco hanc scripturam: *Quid afferebat caussam festinationis, quod heres erat?* Garatonius defendit. Unum dicit Coloniensem, eumque optimum exhibuisse: *quid afferebat caussa festinationis,* quod a Grutero et Graevio receptum, tamen, quum viri docti intellexerint, mutatum esse nominativum in accusativum et mendose scriptum esse *caussam.* Eam scripturam nunc quodammodo Garatonius totius sermonis contextui accommodatissimam esse deprehendit, quod a caussa impellente, nuntio de Cyri morte accepto,

descendat ad ipsam caussam, quae in illa re quaerenda sit. Verum in hac disputatione Garatonius iusto subtilior, quam ut nobis persuadeat. Immo si aliquantum tribuendum putas auctoritatis codici Coloniensi, qui habet: *quid affert caussa festinationis*, e qua scriptione haud dubie omnis illa varietas lectionis nata est, quidni teneamus simplicem illum verborum nostrorum sensum: *quid festinationis afferebat caussa, quod heres erat?* Antea adversarium orator haec obvertentem induxerat: at Romam redire coactus erat, quod Cyrus eum heredem fecerat. Nunc igitur rerum contextui convenienter dicit: *was für Eil veranlasste die Sache, der Umstand* (caussa sc. Romam veniendi), *dass er Erbe war?* quod h. erat. Nam quum iam memoratum erat, *caussam* redeundi fuisse testamentum, ex ordine nunc quaerit: num ea caussa etiam *festinationem* afferebat. Quapropter codicis optimi scriptura contextui convenientem interpretationem et sensum simplicem admittit, sive omnia ista verba: *quid — erat?* una interrogatione comprehendas, sive in duas interrogationes eam sententiam dispescas, et scribas: *Quid afferebat caussa festinationis? quod heres erat?* Namque vel sic longe facilius et ad locum et ad usum accommodatius *caussam*, rem ipsam, *die Sache, das Geschäft, die Angelegenheit* interpretareris, quam cum Graevio, qui *caussam* esse putat, nescio quomodo, praetextum festinationis et *afferebat*, quid emolumenti afferebat. Illud certissimum est, non posse, probata illa scriptura: *quid afferebat caussam festinationis* una interrogatione omnia comprehendi, uti fecit Garatonius in textu, sed distinguendas esse interrogationes, *Quid afferebat caussam festinationis? Quod heres erat?* Itaque hoc unum effici volui, non absurdam videri lectionem codicis optimi, hoc modo si interpretatus fueris locum, non uti Garatonio placuit. Orellius praetulit scripturam: *Quid afferebat festinationis, quod heres erat?*

Quod ut sciret Milo, illum Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit] Plurimos interpretes in hoc loco vel interpretando vel emendando ac nominatim Garatonium errasse

nuper docui in censura, quae mihi perscribenda erat editionis orat. pro Milone Garatonianae, atque nunc video Huldricum etiam et Orellium idem, quod ego, statuisse, contextu orationis universae accuratius perspecto sensum loci continuo apparere, nec quidquam esse mutandum. Est autem ipse contextus paullo accuratius demonstrandus, neque cum Orellio existimandum errores in hoc loco interpretando natos esse ex verae significationis vocabulorum, *quod, ut, tamen,* ignoratione, sed potius ex eo, quod, quomodo haec cum iis, quae cap. 17. Cicero disputaverat, cohaererent, non recte perceperunt. Quod si perspectum habuissent, vel illud *quod,* vel *ut,* vel *tamen* nullum unquam offendere potuisset. — Garatonius igitur verba: *Quod ut sciret Milo* existimat, locum etiam reddere obscuriorem, quod constabat, Milonem scivisse, Clodium Ariciae fuisse. Scribendum esse: *quod nisi sciret Milo,* ita ut ad proxima referantur in superiore periodo: *devertit ad se in Albanum,* ex quo quisque intelligat verba: *illum Ariciae fuisse,* de glossa esse. Neque enim oratorem nostrum supra c. 17. dubitasse, num Ariciae Clodius fuerit, sed potius num omnino in via futurus esset. Atque profecto maximi intererat docere, utrum Clodius Milonem, an Milo Clodium facilius in via futurum esse sciret; at propter hanc ipsam caussam *Ariciae fuisse,* et *in via futurum esse,* unum idemque erat. Itaque quum Cicero cap. 17. caussas exposuit, propter quas verisimile videri posset, uter de alterius itinere comperisset, seu scivisset, docet, non tam Milonem diem, quo Clodius, quam potius Clodium, quo Milo profectus esset et rediturus fuisset, scire potuisse, tamen concedit, verum esse, quod perhibeant, Milonem a servo corrupto Clodii reditum comperisse — concedit etiam, quum testes Clodium in Albano pernoctaturum esse professi essent, nuntium de morte Cyri Clodium accepisse; quo accepto Clodium consilium mutasse et maturius villa exiisse. At, inquit, his omnibus concessis, quid tandem festinationem tantam afferebat, ut vespertino adeo eius diei tempore Romam Albano rediret, nisi nocte facilius etiam Milonis vitae se insidiari potuisse existimas-

set? Nunc orationem quasi interceptam pertexit, redit, quo exierat c. 17. Probaturus igitur Milonem, Clodii occidendi consilium si cepisset, antequam in villam Clodius devertisset, ei insidiaturum fuisse, ait: concedamus, scivisse Milonem, Clodium in via futurum esse, sive Ariciae fuisse, nonne suspicari debebat, eum ad villam suam deversurum fuisse? *Quod ut sciret Milo, illum Ariciae fuisse, tamen* etc. Quapropter et *quod* quum ad priora verba referri possit non minus, quam ad verba: *illum Ariciae fuisse* et *ut, tamen* nihil offensionis habent, quae accuratius explicanda esse putavit Orellius, si semel sententiarum contextum perceperis.

Cap. 22. *Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum*] Errat hic Garatonius, si docet, ubi *quia* dupliciter ponatur, in priore periodi parte semper post se habere coniunctivum, in altera indicativum; coniunctivum autem propterea requirere *quia*, quod aliquid negetur; hinc *quia non posset* dici, quamvis Ciceroni persuasum sit, veritatem sic elici posse. Eandem ob caussam Ciceronem Tusc. 4, 22. *nec Marcellum apud Clastidium ideo fortem fuisse existimo, quia fuerit iratus,* dixisse contendit Garatonius, *fuerit,* quod, si *fuit* dixisset, non negasset, Marcellum fortem fuisse. At negatio non potest efficere unquam coniunctivum, sed propterea *non posset* scribi, sive coniunctivus adhiberi debebat, quod illud *non posse elici,* tanquam caussa, cur non in dominos quaerendum esset, a maioribus aliisque omnibus cogitata proponebatur, ideoque hic oratio aliunde suspensa erat; quum autem diceret: *sed quia videbatur* (sc. iis, seu maioribus) *indignum,* res aliqua ab ipso scriptore tanquam gesta aut facta simpliciter enarrabatur, ideoque indicativus ponendus erat, qui rem gestam seu factam esse significabat. Neque Cicero in loco illo Tusculanarum *fuerit* propterea dicere debebat, quod alioquin Marcellum non negasset fortem fuisse, sed quod caussa ipsa tanquam cogitata a Cicerone proponitur et quod rem aliquam non ita revera esse, sed

nos ita esse putare, aut ita esse posse dicimus. Hinc, Tusc. 1, 1. *hoc mihi latinis litteris illustrandum putavi, non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus non percipi posset, sed meum semper iudicium fuit*, non negatio poterat efficere coniunctivum, uti vult Garatonius, sed subiunctivus adhibetur, vel quod caussa haec ab ipso Cicerone mente concepta proponitur, vel quod est oratio indirecta, vel quod rem non revera esse, sed ita esse sibi aut aliis videri, esse posse significat. Quo fit, ut in summo errore versetur Garatonius, si putat locum Livianum 40, 33. *ea urbs circumsessa quum a Celtiberis auxilia arcessisset, morantibus iis, non quia ipsi cunctati sunt, sed quia profectos a domo inexplicabiles continuis imbribus viae, et inflati amnes tenebant, suorum in deditionem venit* emendandum et *cunctati sunt* in *cunctati sint* mutandum esse. Hic enim caussam illam, tanquam rem gestam, quae requirit indicativum enarrat. Item peccat in loco Ciceroniano Part. 14. *nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars.* Etiam hic non mutari debet *sunt* in *sint*.

Cap. 24. *quae quemvis, etiam mediocrium delictorum conscientia perculissent, ut sustinuit?*] Equidem puto hic praepositione *in* ante *mediocrium*, quam Ernestius induxit, Schützius recepit, Orellius probavit, nos vacare posse. Displicet etiam mihi vulgata maxime, *quae quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam*, quam defendi posse existimat Orellius, quod similis sit προσωποποιΐα Parad. 2, 8. *te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum.* At longe aliud est, *conscientiae angunt, stimulant animum*, aliud, *haec quamvis conscientiam percellunt.* Illo in loco significat *conscientiae* cogitationes male factorum, quemadmodum *cogitationes* et *conscientiae* pro Rosc. Am. c. 24. coniunctim efferuntur: *tales cogitationes et conscientiae animi angunt.* At *quamvis conscientiam percellunt haec*, pro: quemvis mediocrium delictorum conscium haec percellunt, aegre mihi persuaserim ex loquendi usu dici posse. Ablativus *conscientia* in illa, quam tuemur cum Orellio,

scriptura: *quae quemvis etiam mediocrium delictorum conscientia perculissent*, quamvis hic non esse possit ablativus instrumenti, qui dicitur, sed ita usurpatus sit, ut significet, quemvis, quum vel mediocrium delictorum conscius sit, nos nullo modo offendere debet. Saepe enim eo sensu adhibetur v. c. Cic. de fin. 1, 13. *gubernatoris ars utilitate, non arte laudatur*, i. e. quum utilis sit, non quod difficilis. Lael. 22. *multis in rebus negligentia plectimur*, i. e. quum negligentes simus, *für unsere Nachlässigkeit*; ad famil. 6, 2. *Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius scribere, sed aut gravitate valetudinis, aut quod absim ab urbe.*

Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt.] Garatonius *invidiose*, quod Heumannus et Ernestius coniecerant, defendit, quod id rectius scriptor dixisse existimandus sit, quod illi ipsi spectaverint, qui crimina confingerent, sc. *ut invidiam conflarent*; *insidiose ficta* quum dicatur, significari universe clandestinos nocendi conatus. Insidiatum esse calumniatorem Milonis famae per se consequi exinde. At vide, an non haec argutius, quam verius a Garatonio disputata sint et an non res inverti possint, plus etiam dictum sit, quum insidiose dixerit, quum sic non tantum invidia sit expressa adversarii, sed etiam turpissimus eius conatus et famam et vitam alterius infestandi. Haec autem propterea hic memoranda esse putabam, quod non tantum Heumannus, Ernestius et Garatonius, sed etiam Huldricus eam praetulerunt, a Moebio denique ea recepta est. Merito monet Orellius in nota: Cave, ne credas duobus Lagomars., qui habent *invidiose.*

Cap. 25. *Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, quum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed — immutatis — amicissimi benevolentiam desideres.*] Pro *salutaribus* nonnulli *salvis*, alii *salubribus* obtulerunt, quibuscum facit Garatonius, quamquam neutram scripturam ad locum sanandum adhiberi posse Garatonius profitetur. Orellius putat *salutaribus* hic significare: cum salute tua coniunctis. Vexavit hic locus magnopere interpretes, et ne nunc quidem expeditus est. *Sal-*

vis si leges *rebus tuis*, profecto mira foret haec verborum complexio, et absurdus sermo, si Cicero Pompeium amici opem desiderantem faceret, res eius quum essent salvae nec commutatae temporum motu. Neque vero quisquam sibi persuadeat Ciceronem, si dicere voluisset *salvis rebus tuis*, quo nihil est vulgarius et frequentius, aliud quidquam dicturum fuisse. *Salubribus* si praeoptas nonnullorum coniecturam, nihil in caussa tua proficis. Deinde vero notandum est, quidquid e lexicis eruas, et utut circumspicias, non aliam e voce *salutaris* significationem extricabis, nisi, qui seu quod salutem affert. Restat igitur ut ipsi, retento vel vocabulo vel eius significatione propria, periculum faciamus loci interpretandi. Equidem primum puto, isthaec *salutaribus rebus tuis* similiter ad rationem illarum loquutionum *salvis rebus*, *malis rebus*, *bonis rebus* dicta esse, quae, ut sat notum est, interpretamur: quum sint res tuae salvae, malae, bonae. Non ita raro enim temporis fit notatio eiusmodi ablativis absolutis substantivi et adiectivi. Sic ad fam. 7, 18. *nihil te ad me scripsisse admiror, praesertim tam novis rebus.* 6, 1. *noli dubitare, quin aliqua republica futurus sis, qui esse debes.* Pro leg. agr. 1, 1. *Sylvam vendas, hoc senatu?* Hinc denotat illud: quum sint res tuae salutares. Erroris igitur, quo vulgo interpretes impliciti, loci sensum non ceperunt, caussa in eo quaerenda mihi esse videtur, quod *res* duplicem quodammodo vim in eo loco sustinere non intellexerunt. Vulgo enim *res* in illa phrasi duntaxat, *salvis rebus tuis*, *bonis*, *malis rebus*, quod a Cicerone tam saepe usurpatur, vitae conditionem, qua utimur, denotat, *unsere Lebensverhältnisse, Lage, Umstände.* At quum dicit: *salutaribus rebus tuis*, obtinet significatum, qui quasi pendet ab illo priore; vult significare res, quae geruntur, aut suscipi possunt pro conditione vitae, qua utimur, — *das heilbringende Wirken, Leben*, ut hac fere interpretatione totius loci sensum assequi videare: *Erscheinen wird der Tag, wo Du bei Deinen, wie ich hoffe, den Staat beglückenden, durch die Zeitumstände aber vielleicht gestörten Verhältnissen, das wohl-*

wollende Herz des innigsten Freundes, den treuen Beistand des würdigsten Mannes und die Seelengrösse des muthvollsten Sterblichen vermissen wirst. Quemadmodum igitur in hac vernacula conversione vocabulum: *Verhältnisse,* quodammodo ad utramque sententiam, sive ad utrumque praedicatum, ideoque et ad *immutatis* et *salutaribus* accommodatum videri potest, (quanquam *immutatis* magis ad res fortuitas, et externam vitae conditionem referri debeat, *rebus salutaribus* magis significat, quae pro vitae nostrae externae conditione agimus, gerimus, *das durch die Lage mögliche Wirken oder Leben)* ita etiam hic non video, quidni statuamus, syllepticam quasi, quae dicitur, deprehendi dicendi rationem.

Cap. 29. *liberae sunt cogitationes nostrae, et quae volunt, intuentur, ut ea cernimus, quae videmus.*] Quodsi Orellius profitetur a Garatonio non sibi persuaderi potuisse, codicis Coloniensis scripturam: *ut ea cernamus, quae non videmus* veram esse, equidem profiteor, mihi non potuisse rationibus ab Orellio allatis persuaderi, eam codicis scripturam abiiciendam esse. Docet enim Orellius longa verborum ambage nihil dici, nisi: *et quae volunt, cernunt.* At plus etiam dictum est illa scriptura adsumta, quam dixisset, si simpliciter, mentis oculorumque usum in rebus singulis videndis aut cernendis, uti statuit Orellius, comparasset, quod tum hanc pronuntiasset sententiam: mente aliquid intuenti id ipsum, quod intuetur, in tam clara luce propositum est, ut quamvis idem sensibus sive oculis non obnoxium sit, tamen maxime distincte cernat. Accedit, quod *cernere* proprie de animi mentisve adversione dici soleat, *videri* de iis, quae conspiciuntur, vel in sensus cadunt, adeo ut loco illo de div. 1, 57. *animi hominum — cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt,* scriptura codicis antiqui ab eo damnata, maxime confirmetur.

Cap. 31. *neque id, quod maximum est, maiorum nostrorum sapientia*] Sustuli auctore Garatonio, qui sequutus est Bavaricum optimum codicem, Barber. sex Britt. et

futura, *eo tantummodo valitura sint, ut a iudicibus condemnetur.* Nam quum dicit: *haec contra se futura esse,* significat ea, quae spectat, effectura esse, ut condemnetur, quam damnationem neutiquam contemnit, sed consolatur se hac conscientia, se, quisquis iudicii eventus futurus sit, non crimen commisisse, sed criminis suspicionem contraxisse.

NOTAE
AD
ORATIONEM PRO Q. LIGARIO.

Cap. 1. *sed quoniam diligentia inimici investigatum est, quod latebat*] Erf. Palat. nonus, Colon. Gruter. et editio vetus, quam Graevius sequutus est, habent: *id quod latebat.* Expressum est etiam istud vocabulum in editione Graeviana, eandemque invenit Fabricius in codd.; Heumannus putat, *id* a librario aliquo adiectum esse. Ernestius totam rem silentio praetermisit.

Cap. 2. *Q. enim Ligarius, quum esset nulla belli suspicio*] Palat. 9. et tres alii, et Grut. habent *igitur;* at quinque codd. Guilielmi, Erf. et Colon. exhibent *enim,* quod Graevius recepit, propterea quod proximam sententiam: *Tuberonem in iisdem partibus fuisse, in quibus Ligarius fuerit,* orator nunc rationibus confirmet. Ernestius autem praeoptavit *enim* ea potissimum de caussa, quod paullo ante posuerit *igitur.* At omnes istae rationes me movere non possunt, ut non potius *igitur* praeoptem et verum esse putem; nam primum superiorem sententiam: *Tuberonem in iisdem partibus fuisse, in quibus fuerit Ligarius,* hac sequente enuntiatione, quae incipitur vocabulo *enim,* comprobare vult, nisi vis referri illud *enim* ad totam narrationem, quae per totum sequens caput continuatur, quod sta-

futura, *eo tantummodo valitura sint, ut a iudicibus condemnetur.* Nam quum dicit: *haec contra se futura esse,* significat ea, quae spectat, effectura esse, ut condemnetur, quam damnationem neutiquam contemnit, sed consolatur se hac conscientia, se, quisquis iudicii eventus futurus sit, non crimen commisisse, sed criminis suspicionem contraxisse.

NOTAE
AD
ORATIONEM PRO Q. LIGARIO.

Cap. 1. *sed quoniam diligentia inimici investigatum est, quod latebat*] Erf. Palat. nonus, Colon. Gruter. et editio vetus, quam Graevius sequutus est, habent: *id quod latebat.* Expressum est etiam istud vocabulum in editione Graeviana, eandemque invenit Fabricius in codd.; Heumannus putat, *id* a librario aliquo adiectum esse. Ernestius totam rem silentio praetermisit.

Cap. 2. *Q. enim Ligarius, quum esset nulla belli suspicio*] Palat. 9. et tres alii, et Grut. habent *igitur;* at quinque codd. Guilielmi, Erf. et Colon. exhibent *enim,* quod Graevius recepit, propterea quod proximam sententiam: *Tuberonem in iisdem partibus fuisse, in quibus Ligarius fuerit,* orator nunc rationibus confirmet. Ernestius autem praeoptavit *enim* ea potissimum de caussa, quod paullo ante posuerit *igitur.* At omnes istae rationes me movere non possunt, ut non potius *igitur* praeoptem et verum esse putem; nam primum superiorem sententiam: *Tuberonem in iisdem partibus fuisse, in quibus fuerit Ligarius,* hac sequente enuntiatione, quae incipitur vocabulo *enim,* comprobare vult, nisi vis referri illud *enim* ad totam narrationem, quae per totum sequens caput continuatur, quod

tuere absurdum foret. Totus igitur locus talis est, ut *enim* ineptum cuique videri debeat. Neque vero etiam Ernestii ratio, monentis, in principio prioris sententiae iam positum esse *igitur*, sat gravis est, ut propterea *igitur* damnemus et *enim* scribamus. Immo particulae istius usum, qui saepe deprehenditur apud Latinos, atque etiam hic locum habet, interpretes non perspexisse videntur; saepe enim ingressum alicuius sermonis aut argumentationis aut narrationis declarat: v. c. Cic. de orat. 3, 5. *ut igitur ante meridiem discesserunt — et requieverunt.* de fin. 1, 20. *tribus igitur modis video a nostris de amicitia disputatum esse.* de off. 3, 8. *quum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, nos commoveri necesse est.* In his omnibus ingreditur novam disputationem, ita ut de iisdem rebus, de quibus disputare incipit, nihil ante memoraverit; quod ultimum locum attinet, v. c. honestum utili praeferendum esse, se docere velle antea dixerat, quod Panaetius in libris suis non fecerit. — *quum esset nulla belli suspicio*] Ante *nulla* puto rescribendum esse *adhuc*, quod in nullo codice desideratur, nisi in Erf. Col. Dresd. quodque etiam Quinctil. exhibet II, 3, 162. Deinde tantum abest, ut, quod Ernestius opinatur, vocabulum istud hoc in contextu usurpatum Germanismum sapiat, ut nihil sit apud scriptores latinos frequentius, quam eo sensu usurpare *adhuc*, ut sit *usque ad illud tempus* seu *ad praesens tempus:* c. 2. *adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat.* ad fam. 9, 17. Corn. Nep. Milt. c. 5. ibique Bremi. Graevius et Gruterus habent *adhuc.*

Cap. 3. *cuius ego caussam, animadverte, quaeso, qua fide defendam, quum prodo meam.*] Nihil verius esse potest, quam hic *quum* esse expungendum, quod in Guilielm. tribus et Put. et a Graevio et Grutero in Erf., Colon., Dresd., Egmont. et in prima editione desideratum est. Maiorem etiam quodammodo vim ipsa oratio hac omissione accipere videtur: *vide, qua fide defendam, — prodo meam!* Eamque scripturam olim a me propositam merito Orellius rece-

pit, qui recte notat lect. in Iuntina *qui* glossam verbi *quum* magis probari.

Vide, quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri.] Alterum *non* praeter Palat. 9, 5, 6., omnes codices, ac nominatim cod. Col., qui maximam habet auctoritatem, omittunt, nonnulli etiam, ut Gruterus notavit, *dicere* non habent, denique utrumque desideratur apud Quinctil. 5, 10., ubi hic locus citatus est; disserens quippe de comparatione et argumentis, haec affert exempla ex faciliore in Curionem et Clodium: *ac vide, an facile fieri tu potueris, quum is factus non sit, cui tu accessisti*; ex difficiliore: *Vide, quaeso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam dicere.* Itaque vel Quinctiliani, vel codicum auctoritas me movet, ut potissimum ad illius scriptoris exemplum locum refingendum esse putem, ita ut *dicere* post *dubitem*, et *non* ante *audeam* omittatur, et post *audeam* pro *confiteri* ponatur *dicere*, praesertim, quum cod. Col. ille pervetustus *dicere* habeat, atque sic conspiret cum verbis Quinctiliani. Negari quidem non potest, utcunque legeris, sive *non* ante *audeam* omittas, sive addas, constare sibi loci sensum, ut eius comparationis exemplum exhibeat, quod requirat Quinctilianus. Nam si *non audeam* ironiam sapere existimaveris, idem sensus efficitur, quum Quinctilianus duo inter se comparet, docens, si illud fiat, quod longe difficilius sit, facilius aliud fieri debere. Nihilominus tamen ex toto contextu rectius scribi puto: *qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam dicere*, quod prorsus eandem lectionem habet cod. antiquissimus Colon. et Quinctilianus. Vulgatam lectionem Schützius retinuit, et Orellius.

Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus —] Praeoptavi hunc verborum ordinem cum Orellio, quem sequuntur omnes ante Gruterum, qui cum Graevio et sequentibus habet sine auctoritate: *destrictus tuus.*

Cap. 4. *Haec admirabilia sunt, sed prodigii simile est, quod dicam.*] Hanc codicis Colon. scripturam cum Heumanno, Schützio, Orellio denique praeferendam esse puto

vulgatae: *Haec non modo mirabilia sunt, sed prodigii simile est, quod dicam,* quam Graevius et Ernesti sequuti sunt. Rotundior etiam et efficacior oratio sic cuique videbitur ex scriptura codicis. Haud dubie aliquis illud *admirabile,* quod offendat hic, interpretari volebat; accedit etiam, quod varietas deprehenditur in altera scriptione, quum alii libri habeant, notante Lambino, *sed prodigii sunt similia, quae dicam* et *prodigii est simile, quod dicam.* — *Quae tamen crudelitas ab hoc eodem* —] Restituendam esse putavi scripturam omnium codicum et editionum ante ed. 1584., quum Grut. Graev. Ern. Schützius sine auctoritate *hoc* omiserint.

Cap. 5. *quid amplius postulatis? an, ne ignoscatur? Hoc vero multo acerbius est, multoque durius.*] Pro vocabulo *durius,* quod Gruterus in suis codd. et Graevius in omnibus a se collatis, Lambinus denique in Memmiano invenit, *gravius* Heumannus ponendum esse putat. Nimirum suspicatur, id a librario imperito ex inferiore loco eiusdem capitis, *quanto hoc durius, quod nos domi petimus* etc. in nostrum perperam translatum esse, quod *durius* tantum de persona, *grave* de re dicatur. Eandem sententiam repetiit Schellius in commentario, et in textu *gravius* pro *durius* excudi curavit. At si vel maxime concesseris, hunc usum utriusque vocis obtinere; quidni etiam hoc in loco illud *durius* ad personam referamus? Neque enim, si sententiarum contextum studiose consulueris, fortunae, quae Ligario obtigisset, acerbitatem, si Caesar ei non ignosceret, Ciceronem indicare velle intelliges, sed potius Tuberonis inhumanitatem, qua postulabat, ut Caesar Ligario non ignosceret. Quod postea docet, quum devenit ad eum locum, ubi ex Heumanni sententia recte positum est *durius,* idem hic docet: Tuberonem hac caussa summam prodere inhumanitatem. —

Quod nos domi petimus —] Fabricii et Lambini iudicium sequutus, qui aut *domi* delendum esse, aut *petimus* in perfectum mutandum esse putarunt, Orellius, ut alii, *petiimus* excudi curavit. Verum hic Cicero non tam tempus spectat, non quaerit, num res gesta sit, sed ipsam rationem

petendi universe comparat cum Tuberonis ratione istas preces impugnandi. Quod privatus a privato, idque ab eius misericordia obtinere conatur, id tu in forum inferre vis, id publice impugnare? Quapropter uti hic, ita paullo post praesens tempus ponendum esse censeo. — *Quodsi probare Caesari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse, si honesto et misericordi mendacio saluti civis calamitosi consultum esse vellemus, tamen hominis non esset* etc.] Gruterus et Graevius diserte dicunt, se in antiquissimis codd. v. c. in duobus Memmianis, Erf., Col., Dresd., Egm., edit. vet. locum hunc in modum scriptum invenisse: *saluti civi calamitoso esse vellemus*, quam lectionem etiam uterque recepit. At Heumannus eam loquutionem duriorem esse putat, quam quae Ciceroni tribui possit, eandemque sententiam repetiit Schellius in commentario; denique etiam Ernestius, qui modo *esse* deleri vult, et Schützius servarunt vulgatam: *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus*, ille profitetur tamen in nota, placere sibi magis illam a Graevio receptam, quamquam caussam non affert, propter quam eam lectionem praeferat. Modo *esse* exstinctum vult, quod in tali loquutione nunquam adiici soleat. At loquutio ista proprie usurpatur a Cicerone de patrono alicuius caussam agente, v. c. de orat. 2, 49. *Nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem.* Hinc aperte vulgata lectio glossa est, interpretationis caussa adiecta, quod quum intelligeret Orellius, merito nostram scripturam recepit.

Cap. 6. *vel quidnam novi sceleris adferret* —] Quod varietas scripturae hic sit, alii libri habeant *facinoris*, alii *sceleris*, propterea Patricii coniecturam, id vocabulum de glossa esse, probavit Orellius idque uncis inclusit. Verum ista varietas certe mihi non persuadere potuit, Ciceronem hoc in contextu dixisse: *quid novi afferret?*

Cap. 7. *Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam venire.*] Hic Heumanno lubenti animo concedo, contendenti a Gru-

tero, quem Graevius, Ernestius et Schützius sequuti sunt, lectione e paucis codd. Lambini recepta: *Ligario* et *vobis*, quum vulgata lectio sit: *Ligarium ex Africa venire, an vos in Africam venire*; hunc locum depravatum esse. Dativum si posueris, necesse est, ut statuamus, *utrum* interrogandi esse particulam, quum alioquin, accusativo posito, adiectivum esset. Atqui hanc loci rationem totius sermonis structura et verborum positio postulat; nam si *utrum* esset interrogandi particula, a subiecto, sc. *Ligario* non tam longe remota esse et scribi deberet: *utrum Ligario existimas facilius fuisse ex Afr. exire*; *an vobis* etc. Totus locus eiusmodi est, ut vocabulum, quod interrogationi inservit, non ad personam, sed ad totam sententiam referenda sit. Erf. et Dresd. exhibent accusativos: *Ligarium* et *vos*. Eandem scripturam recepit nuper Orellius.

Tuberonis sors coniecta est ex senatusconsulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur; statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone.] Graevius vocem *se* ante *excusare* omisit, quod eam in omnibus suis codd. non invenerat, monetque supplendum esse *morbum*; item Ernestius et Schützius. Graevii correctionem improbat Heumannus, quod *se excusare* a Latinis etiam dici soleat. Quod attinet Heumanni reprehensionem, ita neutiquam comprobatur, *se* h. l. addendum esse; at quod attinet ad interpretationem illam verbi *excusare* sic absolute positi, ne haec quidem vera est; nam, uti Schellius recte docuit in commentario, ex toto contextu facile apparet, Tuberonem invitum profectum esse, mente ab itinere aliena fuisse, et Ciceronem significare velle, morbum tantum accessisse, quo impediretur, non ipsum maximum aut unum impedimentum fuisse. Schellius igitur putat, supplendum esse *provinciam*, quamquam postea *se* restituendum esse putat, ubique vestigia Heumanni sequutus. Neque tamen sic evictum esse puto, propterea *se* h. l. non recte omitti. Quid enim rei convenientius est, quam ipsum illud *se* h. l. cogitando addi, quum nihil sit frequentius, quam ut ante verba reciproca *me*, *te*, *vos*,

nos omittantur. Vide Sanctii Minervam, ed. quintae pag. 312. et Philipp. 9, 4. ibique notas.

Lectionem *omnes* pro *communes*, quae lectio, tautologiam quippe continens, quum necessitudines per se sint *communes*, absurda est, in textum priores editores receperunt, atque Ernestius et Schützius merito eorum exemplum sequuti sunt, quamquam Ern. in notis nihil memoravit. Tanto magis miratus sum, quod Heumannus istud *omnes* h. l. tolerari non posse putat, et *complures* ponit, propterea quod aliquo in loco epistolarum Cicero scripserit: *pro plurimis necessitudinibus nostris*. Atque adeo Schellius, qui fere omnes Heumanni sententias et correctiones amplecti solet, quamquam tacite, ipse etiam *complures* in textum recepit, ea de caussa reiiciens lectionem *omnes*, quod Cicero sumeret, ita scribens, necessitudines istas omnibus notas fuisse, quum tamen eas deinceps exponat. Sed ingenue fateor, me istius argumenti vim non perspexisse. Significat *omnes* i. q. *omnis generis*. vide pro Sextio. §. 39. *M. Crassus, quocum mihi erant omnes amicitiae necessitudines*, quem locum etiam Orellius laudavit.

Scio igitur, Tuberonem domi manere voluisse; sed ita quidam aiebat, ita rei publicae sanctissimum nomen opponebat, ut, etiamsi aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset. Cessit auctoritati amplissimi viri, vel potius paruit.] Hic primum impugnanda est lectio *aiebat*, quae, etiamsi non esset tantum duorum codicum lectio, Erf. et Colon., vel propterea quod verbum *aio* non eo sensu a Latinis usurpatur, ut sit: *disputare, disserere cum aliquo de aliqua re* reiicienda esset. Immo placet nobis *agebat*, quod constanter reperitur in omnibus codicibus. Cuius verbi vim quae hic obtinet, si recte explicaveris, et loquendi usu confirmatam videris, non opus est, ut ad Lambini coniecturam alioquin satis probabilem confugiamus, *agebant* mutantis in *urgebant*, quam coniecturam Schellius aliique in textum receperunt. Agere h. l. eodem sensu dictum est, quo usurpatur in loquutionibus: *cum aliquo agere*, i. e. colloqui cum aliquo, rem dis-

putando tractare: v. c. ad famil. 1, 9. *quid egisset saepissime de actis Caesaris cum ipso meo fratre, quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seque, quae de mea salute egisset, voluntate Caesaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est;* paullo post: *qui cum illa sentirent in rep. quae ego agebam,* sc. in Senatu. ad fam. 4, 2. *His placuit, ut tu in Cumanum venires, quod etiam mecum, ut ad te scriberem, egerunt.* Nep. Con. 3. *per litteras agere, quae cogitamus.* Sensus igitur verborum: *ita quidam agebat,* non alius est, quam: ita quidam orationem suam instituebat, acri oratione eius animum flectere conabatur. Alterum, de quo diutina lis acta est ab interpretibus, quodque etiamnum non ad liquidum perductum esse videtur, est pluralis *agebant,* et *opponebant,* utrum hic, an singularis *agebat,* et *opponebat* ponendus sit. Atque hic primum damnanda esse mihi videtur sententia eorum, qui putant, propterea pluralem ponendum esse, quod eum requirat vocabulum *ipsorum,* namque id non ad *verborum,* sed ad personas referri. Quid? quod Schellius, qui etiam hic Heumanni auctoritatem et exemplum sequitur, absurditatem istius sententiae ridet, *ipsorum* si referatur ad *verborum.* At equidem existimo, hanc structuram ut sequamur, poscere totius loci naturam; nam quum singula verba habent vim ad animum commovendum, aut ad fidem faciendam, non infrequens est loquutio illa, *verborum pondera:* de orat. 2, 17. *omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus utendum est.* Hor. ars poët. v. 319. *Interdum speciosa locis morataque recte Fabula, nullius Veneris, sine pondere et arte, Valdius oblectat populum meliusque moratur, Quam versus inopes rerum nugaeque canorae* i. e. *sine verborum ponderibus.* Iam vero singula verba magnam vim habuisse ad eius animum, singulis verbis eius animum percussum esse, quamvis aliter sentiret, modo memoraverat, dicens: *reipublicae sanctissimum nomen ei se opposuisse;* hinc non video, quid absurdi insit isti sententiae: *verborum ipsorum pondus non sustinere potuisse.* Quum igitur hac parte nihil in alterutram partem probari possit, una

codicum auctoritas momentum facere potest hoc in genere. Iam nullus, quantum videri licet ex Criticorum adnotatis, codex pluralis vestigium ullum habet; ergo recte statuimus, h. l. unum tantum de partibus Pompeianis Ciceronem significare voluisse, qui Tuberonem ad partes Pompeianas pertrahere conatus sit. Atque is unus quis alius esse potest, quam idem ille, qui significatur ex omnium interpretum sententia verbis, quae nostrum locum excipiunt: *cessit auctoritati amplissimi viri —,* quam Pompeius? nisi fortasse quis obiiciat, aegre Ciceronem per *quidam* Pompeium, cuius semper honorificentissimam mentionem faciat, significare potuisse, quamquam non temere eum sic potissimum hoc in loco significasse videtur. Nuper autem scripturam *agebat* impugnavit Groebelius, vir doctissimus (in Progr. Dresdae, 1826.,) offensus absoluto isto vocis *agere* usu, quod semper persona, quacum agatur, addi soleat, atque *ambiebat* coniecit. Quamquam autem facile concedi possit, vulgo dici *agere cum aliquo, de aliqua re,* tamen quaeri potest, num is, qui impugnat usum huius verbi *agere,* et tantopere eo offendatur, verbi *ambire* usum tam absolutum esse statuat, ut non opus sit in locis, iisque paucis, ubi *ambire* absolute dicitur, cogitando addere certum hominem, aut homines, quos ambias, si quidem significat ab aliquo rogando aliquid consequi. Quodsi id significare non potest, quin aliquem aut aliquos, qui spectentur, mente conceptos habeas, et hic Tuberonem suppleri necesse sit, si *ambiebat* scripseris, profecto non dispicere possum, quidni sine omnium offensione *cum Tuberone* cogitando addatur, quum scripseris *agebat;* si quidem constat, nihil frequentius dici a Latinis, nisi *agere de aliquo cum aliquo,* ut sit, *disputare, sermones cum aliquo de aliquo conserere* et ex ipsis verbis, quae sequuntur *reip. nomen opponebat, verborum pondus sustinere non posse,* quibus preces, sermones Pompeii, ad Tuberonem commovendum significantur, apparet. Unus locus est de iis, qui memorati sunt in Programmate, speciosus, quasi qui absolutum illum vocis *ambire* usum comprobet, Phil. II, 8. *Quodsi comitia placet in senatu habere, pe-*

tamus, ambiamus, sed est speciosus, quandoquidem hic supplemus *senatum,* atque *ambire* ita significare potest: *sermonibus efficere, ut aliquid ab aliquo consequaris,* si aliquem animo conceptum habeas, quem ambias, sive quocum sermocineris, quem roges. Simili modo etiam hic non tam absolute positum est *agebat,* ut offendere possit, quum constet, *agere* multiplicem illum orationis sive sermonis, quo vel aliquid tractemus, vel alios moveamus, usum significari. Quod quamvis vulgo ita usurpetur, ut accusativus rei, aut de aliquo, aut cum aliquo adiici soleat, tamen tali in contextu, quum sermones et verba gravissima, quibus Pompeius impellere voluerit Tuberonem, continuo memorantur, quemadmodum in illo loco Nep. Dion. 2., *quo ille* (Dionysius) *commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit,* non ambiguum est, num *agere* sic simpliciter positum orationis usum significet, quo aliquid demonstrare, alios movere velimus. Graviorem autem sermonem opus esse, quam *ita agebat,* quum continuo dicat: *sanctissimum nomen reip. opponebat,* uti opinatur Groebelius, atque verbum propterea optandum esse, quod studium per se vehementius significet, aegre auctor illius coniecturae aliis persuaserit. Orellius nostram scripturam reddidit.

Nam si crimen est, illum voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum arcem; natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere, quam aliquem, maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit.] Ita Ernestius et reliqui editores omnes, ac nominatim Heumannus et nuperrime Schützius locum correxerunt, sive potius depravatum ediderunt. Nam Gruterus in codd. suis locum hunc in modum conscriptum invenit: *Nam si crimen est, ullum voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse,* atque sic locum excudi curavit Graevius in sua editione. Mutarunt locum editores, decepti scripturae, quae obtinet sane in nonnullis codicibus, varietate, maxime autem, quod totius loci rationem non

ceperant. Nam si *illum* ponis pro *ullum*, tum *illum* est *τῷ vos* oppositum, et *obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse* mutari debet, uti ab Ernestio factum est, in *obtinere, quam aliquem maluisse* (aliquem i. e. q. alium quem). At vel ex his ipsis verbis: *obtinere voluisse, quam alium quem se maluisse*, quae constans est, uti diximus, codicum lectio, facile apparet, supra non *illum*, sed *ullum* scribendum esse; nam si scripseris *illum*, ea, quae adiecta sunt, *quam aliquem se maluisse*, cuique absurda videri debent; *ullum* si posueris, omnia optime cohaerent, sic ut *ullum voluisse* quasi constituat propositionem, quae dicitur, maiorem sive universalem, et quae sequuntur, subsumtionem duabus partibus quasi constantem: *non minus magnum est, vos obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse*; ita ut, quum sic tota sententia pleni et iusti syllogismi formula comprehensa sit, facile cognoscatur, non uti Ernestius et reliqui editores temere opinati sunt, *illum* et *vos*, sed *vos* et *alium quem* sibi opposita esse. Cuius loci concinnitatem si perspexeris, facile senties, vocem *imperatorem* post *se* et ante *maluisse*, quam Heumannus recepit, glossam esse. Sensus enim loci hic est: Si *velle* (crimen committere) crimen est, vos non minus magnum crimen commisistis, qui Africam, omnium p. a. n. ad b. c. r. g. obtinere voluistis, quam alius quis (v. c. Ligarius), qui eam obtinere maluit. *Wenn überhaupt einer durch das Wollen schon zum Verbrecher wird, so seid ihr eben so Verbrecher, die ihr Africa, diese für den Staat so gefährliche Provinz, in Besitz nehmen wolltet, als ein anderer, der sie lieber haben wollte.* Tantum igitur abest, ut cum Ernestio ea, quae eiecit, latinitati adversari iudicemus, ut ea etiam a contextu requiri intelligamus. *Se* enim neminem offendere potest, quod ab oratore consulto insertum est, ne quid ambiguitatis loco inesset, et quo magis appareret oppositio. Ex his igitur, quae diximus, quum satis pateat, sic demum totius loci rationem sibi constare, si, praemissa enuntiatione universali, *si crimen est, ullum voluisse*, sequantur ea, quae sibi quodammodo opposita constituunt conclusionem, *non minus ma-*

gnum crimen est, vos Africam obtinere voluisse, quam alium quem se maluisse; ideoque, si *illum voluisse* scripseris, totius loci rationem perverti, quod tum *illum voluisse* oppositum est τῷ *vos Africam obtinere voluisse,* atque ea, quae sequuntur, *quam alium quem se maluisse* superflua et perabsurde addita sint: valde miratus sum, quod Orellius non tantum optavit pravam illam scripturam Ernestii et Schützii *illum voluisse,* sed etiam praeposuerit his; quod nonnulli habent libri scripti, v. c. cod. Erf. et Col., nostrae editiones tamen non admittunt, *prohibere,* quod quisque loci ratione semel perspecta, non minus de glossa esse habeat, quam paullo infra *aliquem se imperatorem maluisse.* Absurdus enim cuique sermo videri debet: *Wenn es ein Verbrechen ist, wenn jener (Ligarius) andere (die Tuberonen) von Africa abwehren will, so habt Ihr ein eben so grosses Verbrechen begangen, indem Ihr Africa, diess Bollwerk, haben wolltet, als wenn ein anderer es lieber haben wollte, als Ihr.* Enuntiatio, quae sic inchoata erat, his verbis: *so habt Ihr ein eben so grosses Verbrechen begangen, indem Ihr Africa haben wolltet,* finita esse debebat. At *voluisse* sc. *Africam obtinere,* notio hic primaria est, et constituit enuntiationem universalem, ut singulae ratiocinii sententiae sic se excipiant: *Wenn das Wollen überhaupt einen zum Verbrecher macht, so habt ihr, Tuberonen, ein eben so grosses Verbrechen begangen, indem ihr das Bollwerk Africa haben wolltet, als ein anderer (wie z. B. Ligarius), der es lieber haben wollte.* Dicere enim vult: *irati estis* tantum in Ligarium, nec quidquam ei crimini dedistis, quum vos in Africam a Ligario receptos non esse conqueremini, hanc provinciam qui in illis temporibus obtinere vellet, quisquis est, crimen committebat; hinc vos in eadem culpa estis, in qua esse putatis Ligarium.

Cap. 8. *Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam, in qua erat rex potentissimus, inimicus huic caussae, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quaero, quid facturi fuistis? quamquam quid facturi fueritis dubitem, quum videam,*

quid feceritis.] Heumannus et Schellius mihi non recte interpunxisse videntur post *aliena voluntas*, ut sit *conventus firmi* non nominativus pluralis, sed genitivus singularis. Docet enim Schellius in commentario multis verbis, h. l. Ciceronem non de civitatibus illis loqui voluisse, ubi ius diceretur a praetoribus, sed ea quae Cicero, postquam Iubam attulerit, dicat, pertinere debere ad totam provinciam. At accurate docendum erat, *conventum* vulgo in lexicis atque a multis interpretibus male sumtum esse pro urbibus aut civitatibus, in quibus ius dicatur a praetoribus in provinciis, quod sane est falsissimum. Nisi omnia me fallunt, multos in errorem induxit I. I. Gronovius in Observ. 3, c. 22., ubi ad Verr. 2, 13. *ceterarum rerum selecti iudices ex civium romanorum conventu proponi solent*, contendit, si *conventus agere* dicatur, referendum id quidem esse ad homines, qui disceptandi caussa conveniant; ut si dicatur: *dantur iudices e conventu civium roman.*, denotare *conventum* locum seu urbem, in qua ius dicatur, quod deceptus explicatione aliqua huius loci Asconiana: *ex civitatibus, ad quas cives romani conveniunt rei suae et publicae agendae caussa*, per se maxime probanda, iudicavit. Nam conventus non est civitas proprie et per se, sed conventus fit certae cuiusdam classis civium aut civium cuiusdam conditionis in civitatibus. Sic in Verr. 5, 36. *Is est conventus Syracusis civium romanorum, ut non modo illa provincia, verum etiam hac republica dignissimus existimetur.* Conventus h. l. non sunt ipsae Syracusae, sed numerus ille certus civium romanorum, sive multitudo civium rom., quae convenit. Eiusmodi conventus esse poterant civium romanorum, latinorum, atque alius etiam conditionis hominum, quod luculenter patet ex loco illo superiore Verrino 2, 13. ubi Cicero Siculae civitatis instituta memorat, quibus alii iudices eligerentur, prouti Siculus cum Siculo disceptaret, alii, si Siculus cum cive romano, alii denique, si cives inter se disceptarent; hoc enim si esset, e *civium romanorum conventu* iudices proponi dicit, ut quisque facile sibi persuadeat, verborum istius loci transpositionem illam Gronovianam *civium romanorum*

inferret orationi simplicissimae, qui tentaret sermonem ulla eiusmodi contorta interpretatione, nec potius *non* revocaret ante *dubitem,* quod iam Ernestius restituere debebat, ut sensus sit: *ich frage, was ihr thun wolltet? doch, ich zweifele nicht* etc. Temere Schellius in textum recepit *qui* pro *non.* Schützius item, ut Ernestius, *non* omisit.

Quae est ergo haec apud Caesarem querela, quum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos, contra Caesarem bellum gerere? Atque in hoc quidem, vel cum mendacio si vultis gloriari, per me licet, vos provinciam fuisse Caesari tradituros, etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor, culpam esse Ligarii, qui vos tantae laudis occasione privaverit.] Evictum est, ait Cicero, vos provinciam contra Caesarem obtinere voluisse. Iam ineptissime agitis, quum eum apud Caesarem accusatis, a quo contra Caesarem pugnare prohibiti estis. Deinde haec sequuntur: *atque in hoc quidem, vel cum mendacio si vultis gl. p. m. l. v. prov. Caesari trad. etiamsi a V. et q. aliis prohibiti essetis.* Hic locus eiusmodi est, ut, nisi ad totum orationis contextum accurate attendamus, nos facile in errorem inducere possit. Nam verba: *etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti essetis,* quodammodo ambigua sunt, quod et *provinciam Caesari tradere,* et *contra Caesarem pugnare,* contextu orationis non repugnante, suppleri posse videtur. Atque omnes interpretes constanter hanc rationem sequuntur, ut ad haec verba cogitando addant: *Caesari provinciam tradere.* Ego fateor, me non intelligere, quomodo haec oratio cohaereat. Orator Tuberones summi mendacii summaeque repugnantiae arguerat, cuius obnoxii erant, quod provinciam Caesari se esse tradituros iactaverant, quum ex eo, quod provincia exclusi ad Pompeium, non ad Caesarem profugerant, satis appareret, *eos contra Caesarem pugnare voluisse.* Num haec nova est obiectio, aut maius et impudentius mendacium, quum gloriantur: *Caesari tradituros esse prov., etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti essent, Caesari provinciam tradere?* Cur tandem haec addidit orator?

Manutius hoc in loco dubius haesit, et inquirens, ubinam his in verbis mendacium lateat, quum orator dicat *vel cum mendacio gloriemini*, in verbis: *etiamsi a Varo prohibiti essetis*, id invenisse sibi videbatur. Neque enim a Varo, sed a Ligario eos prohibitos esse; si a Varo, qui esset Caesaris inimicissimus, prohibiti essent, tum concederet Caesar, eos sibi voluisse tradere provinciam. In quo tamen ipse orator secum pugnaret, qui ante in fine c. 7. diserte dixisset, a Varo, non a Ligario Tuberones prohibitos esse; deinde Ligarium non minus Caesaris inimicum, quam Varum esse constabat. Locus planus est et perspicuus, si ad verba: *prohibiti essetis* cogitando addimus, quae post eadem verba paullo ante posita sunt: *contra Caesarem pugnare*, ita ut orator repugnantiam et mendacium, cuius eum arguerat, cavillans denuo ei obiiciat. Totus locus sic vertendus est: *Was soll nun diese Klage hier beim Caesar, wenn ihr den anklagt, über den ihr euch eigentlich beschwert, dass er euch gegen den Caesar zu streiten verhindert habe? Doch möget ihr euch meinethalben zu Lügnern prahlen; ihr habet dennoch die Absicht gehabt, dem Caesar die Provinz zu übergeben, wiewohl ihr vom Varus und gewissen andern gegen Caesar zu streiten verhindert worden seid. Ich meines Orts will gern gestehen, dass Ligarius euch diesen grossen Ruhm vereitelt hat!* Iam vide, quantum salis et acrimoniae accipiant verba sequentia: *Ego autem confitebor* etc. Caeterum, quam communis et inveteratus sit error ille in hoc loco interpretando, scriptura etiam codicis Fulvii Ursini, quem merito dicit Orellius suspectissimum, documento esse potest: *si a Varo e. q. a. non prohibiti essetis*. Nam qui ita scripsit, aperte *Caesari provinciam tradere* supplendum esse putavit, et infregit loci vim, quam accipit, quum scripseris: *etiamsi — prohibiti essetis* cogitando addens: *contra Caesarem pugnare* ex superioribus.

Cap. 9. *Sed vide, quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipse probarem, ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem inprimis eam virtutem solere laudari.*] Erne-

stius, Schellius, Heumannus et Schützius exhibent in editionibus suis *probarem.* Gruterus autem et Graevius *probarim.* Ernestius etiam mutationis suae defendendae caussa adnotavit, id postulare sinceram latinitatem. At tritum est, et in vulgus notum, perfectum aoristi graeci vim saepius obtinere, atque tum maxime, si actio verbo significatur non continua et durans, sed uno momento aut certo quodam tempore absoluta v. c. p. Rosc. Am. 44. *Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem Roscium esse diceret, ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit,* ibique v. notam Matthiae. de fin. 1, c. 15. *Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur, et ut, succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre, miserum est; ob eamque debilitatem animi multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt: sic robustus animus omni liber cura et angore est,* ubi Goerenzius notavit, perfectum *perdiderunt* vim habere: *etiamnum perdunt, et olim quoque perdent.* Iam vero omnis probatio sive animi assensio, quae ut res uno temporis momento absoluta proponi potest, non talis est, quae continuetur et longum per tempus duret. Hinc non isto perfecto offendi debebant editores, quamvis sequitur praesens, *ut probo.*

Quoties enim quisque fecisset, ut a quibus in dissensione civ. n. e. r. — ad eos ipsos rediret.] Gruterus ex auctoritate Palat. delevit *partibus* post *ut a quibus,* eamque vocem Graev. Ern. Sch. omiserunt. Orellius scripsit *a quibus partibus, — ad eas ipsas rediret.*

Magni cuiusdam animi atque eius viri esset, quem de suscepta caussa propositaque sententia nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere.] Hunc locum Ernestius depravavit pro *est,* quae constans lectio est omnium codicum, *esset* ponens; dicit enim: aut *esset — posset,* aut *est — possit* scribendum esse. Exemplum autem Ernestii omnes reliqui editores imitati sunt. Nam hic dubitare non potuit, num eiusmodi vir constans reperiretur, quem nulla contumelia repellere posset, quum Tuberonis exemplum ei

propositum esset, cuius patientiam modo admiratus erat. Minus turbasset orationis contextum, si scripsisset pro *posset, possit,* quod praesens *est* antecedit. At non voluit sententiam efferre universalem, sed factum ipsum ita, quasi esset sententia universalis. Sensus hic est: redire ad eas partes, a quibus reiecti sumus, est magni animi. Animum magnum sane exhibet is, quem aliquando a suscepta caussa nullum periculum deterrere poterat. Sic id, quod ab initio universe pronuntiatum erat, refertur ad Tuberonem.

Omnes, inquam, vincere volebamus.] Venerat in mentem Goerenzio ad cap. 24. lib. 2. Acad. *nemo, inquam, superiorum non modo expresserat* etc. non male se habere locum, si *nemo* repetite legeretur, quemadmodum sit in Cluent. 23, 62. *nihil, nihil, inquam, aliud, iudices reperietis,* atque propterea opinatur in simili loco orationis Ligar. *omnes* excidisse, atque propterea *omnes* et Schütz. et Orellius in editione bis ponendum esse putarunt. Quamquam autem negari non possit, a librariis tales repetitiones saepe oblitteratas esse, tamen non propterea constanter hic vocabulum in textum inserendum esse existimem.

Cap. 10. *Causas, Caesar, egi multas et quidem tecum*] Hic etiam coniecturam Goerenzii de Fin. p. 161. Schützius et Orellius sequuti pro *et quidem* receperunt in textum *equidem,* quum tamen *et quidem* recte et apte scriptum sit; sensus est, cum in omnibus caussis, quas egi in foro, tum nominatim in iis, quas tecum egi, quum tu caussis in foro defendendis operam dares, non ut mihi venia daretur, rogavi.

Legatus ante bellum profectus, bello oppressus, in eo non acerbus, totus animo et studio tuus.] E scriptura Oxx. et multarum veter. editt. Hervag. Iunt. Crat. *tametsi totus,* quae cuique glossema videri debet, nata est, Naug. qui eam correxit, scriptura *tum etiam fuit.* Hinc Gruterus, uti Orellius adnotavit, tacite sive errore typographico: *non acerbus, tum etiam totus,* quam lectionem sequuti sunt Ern. Sch. Weiske, Moebius, quamquam omni auctoritate careat. Graevius et Orellius omittunt ea vocabula.

Vidi, caussas apud te rogantium graviores esse, quam preces.] Ego mihi persuadere non possum, Heumannum et Schellium ac nuper modo Schützium recte existimasse de hoc loco, hanc esse veram lectionem iudicantes, propterea quod postea dixerit: *sed video tamen, apud te caussas, ut dixi, rogantium plus valere, quam preces.* Quidni propterea dicere poterat nihilominus, quod in antiquissimis exemplaribus Victorius et Gruterus in multis codicibus, denique Graevius in Pith. Dresd. et Colon. reperit: *caussas apud te rogantium gratiosiores esse, quam vultus* i. e. gratiam merere tuam facilius caussas deprecantium, quam vultus moeroris. Ac si merito ducitur argumentum, quo defendamus caussam nostram, inde, quod alterutra lectio quo modo orta sit, seu quo locus sit immutatus, cogitare possis, sane magnum momentum habere videtur illud in nostro loco, quod *graviores* et *preces* facile scribi potuerit, quod sequatur *caussas rogantium valere plus, quam preces;* at qui in mentem venire alicui potuerit *vultus* et *gratiosiores*, nemo intelligat, adeo ut facilius tibi persuadeas, lectionem codicum, praesertim optimorum auctoritate confirmatam, *gratiosiores* et *vultus* in *graviores* et *preces*, quam haec in illa mutata esse. Graevius et Ernestius *gratiosiores* et *vultus* retinuerunt, et qui nuper edidit orationem nostram Orellius.

Cap. 11. *Videsne igitur hunc splendorem — verum etiam probatos viros tecum fuisse*] Argutius, quam verius contra hanc scripturam: *tecum fuisse*, quam Gruterus optavit e Palatinis et Graev. Ern. Sch. aliique sequuti sunt, Orellius mihi disputasse videtur dicens: inepte interrogari hic Caesarem, an nunc videat, illos secum fuisse. At quum admodum multiplex et frequens usus verbi *videre* sit apud Latinos, de rebus, quae animo cernuntur, mentisque vi et opera cognoscuntur, curantur, tractantur, uti satis constat, non magnopere offendi quemquam putem, quod utroque sensu hic usurpatur, quo tum de rebus, quae oculis, tum de iis, quae animo cernuntur, dici solet, quum ante oculos viri illi positi essent, eosque digito monstraret, quos Caesarem animadvertere volebat Cicero, olim ab eius partibus

stetisse. Quemadmodum nos simili quodam modo dicere possemus: *Beherzigest du es aber nicht, die berühmten Männer hier, in Trauerkleidern, von dir geschätzt und geachtet, dass sie auf deiner Seite waren?* Immo verisimile est, alteram scripturam, quae in multis libris editis erat ante Gruterum, *qui tecum fuerunt*, ex illa, quae aliquantum difficultatis habebat, tanquam interpretamentum natum esse. Orellius in editione sua, quum, *qui tecum fuerunt*, librarii esse putaret, qui ἀσύνδετον tollere vellet, in editione sua scripsit: *probatos viros? Tecum fuerunt.*

Atque his maxime irascebamur, et hos requirebamus et his nonnulli etiam minabantur.] Graevius expunxit *maxime*, quod desideravit in Erf. Col. et Dresd.; deinde *et* ante *hos*, quod ab uno Erf. aberat; *minabantur* denique mutavit in *minabamur*; aequalem quod reddere volebat sermonem. At immerito labefactavit hunc locum. *Minabamur* propterea ponendum esse statueris pro tertia persona, quod *nonnulli* nullam offensam habet, quum in Livii historiis legatur: *Hannibal peto*, pro: Hannibal petit, qui locus omnino non illi similis est. Sequutus est Graevium Ernestius. Schützius omisit *maxime*, sed scripsit: *minabantur*, quum illi habeant *minabamur*. Ernestius etiam *et* delevit ante *nonnulli*. Orellius optavit eandem scripturam cod. Col. et Dresd. *atque his irascebamur, hos requirebamus, his nonnulli etiam minabantur.*

Cap. 12. *Hic igitur Ligarius, qui tum egit nihil aliud (neque enim haec divinabat), nisi ut tu eum studiosum tui et bonum virum iudicares, nunc a te supplex fratris salutem petit.*] Coniecerunt plurimi interpretes: *tui studiosum*, quanquam in uno codice Colon. est: *tuis studiosum*. Receperunt Graevius, Ernestius et Schützius *tui*, potest autem *studiosus* sic absolute dici, v. c. Quaest. Acad. 4. c. 31. *homo valde studiosus et diligens*; Plin. 3. ep. 5. sub finem: *soleo ridere, quum me quidam studiosum vocant, qui, si compares illi, sum desidiosissimus.* Deinde aegre etiam persuaserit orator Caesari, Ligarium illo tempore Caesaris studiosum fuisse.

tres fratres optimos et integerrimos, non solum sibi ipsos, neque his tot ac talibus viris — sed etiam reipublicae condonaveris.] Correxit hic Ernestius pro *ipsos, ipsis,* quod Schützius et Orellius receperunt. Verum erravit hic Ernestius, quod non tam obiectiva aliqua locum habet, sed subiectiva, quae vulgo dicitur, oppositio. Simili modo ad fam. 3, 7. *nec mehercule aliter vidi existimare, vel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipse antepono.* Ernestius, quod temere *mihi ipse* opposita esse putabat, *omnibus, qui unquam fuerunt,* mutavit *ipse* in *ipsi.* At hic neutiquam ulla locum habet oppositio, sed, *Lentulum mihi ipse antepono,* enuntiatio est, quae per se constat, sc. sponte a nullo admonitus mihi Lentulum antepono, Pompeium omnibus antepono. Si *ipsi* apte scribere velles, antecedere deberet aliquis, quem sibi ipsi anteponeret. Pari modo hic *fratres* et sibi *ipsos* condonasti seorsim spectari possunt, neque obiective opposita *et reipublicae condonasti.*

NOTAE

AD

ORATIONEM PRO REGE DEIOTARO.

Cap. 3. *Per dexteram te oro, non tam in bellis et in proeliis, quam in promissis et in fide firmiorem.*] Quomodocunque legeris, sive *non tam in bellis*, sive *non in bellis et in proeliis*, sensus verborum est: dexteram in fide magis, quam in bello firmam. Priscianus l. 3. c. 1. quum habeat in loco nostro citato: *non tam in bellis*, atque Lambinus contendat, hanc esse omnium codicum lectionem, recipienda mihi esse videtur particula. Namque si voluisset dicere: aeque firmam, non minus firmam, alio ordine posuisset verba: *in bellis et in proeliis non firmiorem, quam in promissis.* Itaque auctoritatem Prisciani et codicum sequendam esse putavi, qui habent *non tam in bellis, neque in proeliis*, uti etiam Orellius nuper excudi curavit, quo etiam minus offensionis habet *tam*.

Cui tamen ipsi rei veniam te daturum fuisse dicebas, si tantum auxilia Pompeio, vel si etiam filium misisset, ipse excusatione aetatis usus esset.] Hic Mureto adsentior, V. L. 2, 16. ex codicum auctoritate, ut ipse profitetur, corrigenti: *si quum auxilia Pompeio, vel etiam filium misisset* etc. Habent eandem scripturam codices regii, e quibus eam sumsit Lambinus, et Oxx.; restituit eam Orellius. Est

enim aperte lectio cod. Col. tantum glossema natum e *tum* et *quum* scripturae compendio.

Cap. 4. *Neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est.*] Huius loci sensum, neque Ernestius, neque Heumannus, neque alii ceperunt. Nam quum interpretes *progressus* referrent ad *odio*, alii, ut Ernestius, *aliquo* supplendum esse putabant, alii locum mutarunt, v. c. Schützius, qui in textu habet *illo* pro *ille*, i. e. illuc. At omisit hic orator: *in bellum*, tanquam sententiam invidiosam.

in qua etiam suam inclusam esse videbat.] Vel propter loci, ubi ponitur *esse* varietatem, (Lamb. habet *esse inclusam*) vel quod saepe Cicero, si sequitur infinit. *esse* post *videre*, *putare* omittit, verisimile fit, quod Ernestius coniecit. Phil. 14, 1. *hostium exercitum fusum caesumque cognovi.* Phil. 8, 11. *Caeteris, si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto.* Pronomen reciprocum *se* in tali contextu cum inf. simul apud Terent. v. c. Andr. 2, 3, 27. *pollicitus sum, suscepturum.* Liv. 1, 37. *nec gesturos melius sperare poterant* aliosque scriptores omittitur nonnunquam, non item apud Ciceronem.

Cap. 6. *Ut omittam — a quo rex appellatus esset, in eo tyrannum inveniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique arma contra se unum excitare? Quonam ille modo, cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset tanto scelere, non modo perfecto, sed etiam cogitato? At, credo, haec inconsultus et temerarius homo non videbat. Quis consideratior illo? (quis tectior?) quis prudentior?*] Hunc sermonem continuum descripsimus, quod tres loci eo comprehensi sunt, in quibus interpretes haeserunt, atque sic eorum intelligentia adiuvatur. Heumannus primum Graevium reprehendit, quod scripserit pro *in eum*, *in eo* ex auctoritate Colon. et Erf. codicis; at valde vereor, ne Graevius rariorem loquutionem, quoniam *eo* in nonnullis codicibus deprehendatur, merito praetulerit; cessit haud dubie vera loquutio solitae immerito, et Ernestius

recte recepit *in eo*. Tali autem in contextu ablativum ponere Latinis non minus solemne esse, non unus ille locus Horatianus, quem Graevius attulit, Serm. 1, 2, 63. *quid interest in matrona, ancilla, peccesve togata,* nobis persuaserit. Occurrunt nobis Ciceronis libros legentibus ubivis tales loci: v. c. de off. 2. c. 18. *in iis tamen, qui se adiuvari volunt, non ut ne adfligantur, sed ut altiorem gradum adscendant, restricti omnino nullo modo esse debemus,* i. e. *non minus liberales;* hoc in loco Lamb. voluit scribi *in eos;* l. l. c. 14. *et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint;* hic cod. Pith. recte habet haud dubie: *in aliis*. Sall. Iug. c. 72. *in furibus misericordes;* ibique Cortte; Corn. Nep. Phoc. c. 4. *in hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum sepelire.* Similia plura ad Caes. de bell. Gall. 2, 32, 2. collegit Oudendorpius. Deinde valde miror, quod omnes interpretes verbis: *quonam ille modo,* non offensi sint, quae ex Latinorum consuetudine omnino eo sensu capi non possunt, quo vulgo sumta sunt. Namque vertere non licet: *wie würde er getrennt worden sein,* quo in contextu *wie* Germanorum habet vim intensivam, *wie sehr,* quantopere, quam tamen vim *quomodo* in latina lingua nullo modo habet. *Quomodo* igitur est i. q. *qua ratione, auf welche Weise, wie war es möglich,* et post verba: *quonam ille modo,* — signum omissionis aut aposiopesis ponendum est: *quonam ille modo — cum regno, cum domo* etc. quam figuram admittere solet orator, si est animo commotiore; mente autem addendum est: *tale facinus perficere potuit?* adeo ut similis locus sit illi in Catil. 1, 9. *quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas?* ubi etiam cogitando addendum est: *fierine potest.* Iam vero vexat nos magnopere illud *cum,* in nostro loco saepe iteratum. Quaeritur, num h. l. esse possit praepositio. Omitto interpretationem Patricii et Graevii paene ridiculam, qui putant, *distrahi* significare *discerpi,* quod pugnat cum loquendi usu, quaque interpretatione sententia redderetur absurda, nam quid istud esset: *er würde mit seinem Reiche zerrissen werden!* Loco certe illo Livia-

no 1, 28., ubi Tullus dicit Metto Fuffetio: *ut animum ancipitem gessisti, ita corpus passim distrahendum dabis,* quo vir doctus quidam, qui Patricii sententiam amplexus erat, ad suas partes defendendas utebatur, nihil proficimus in caussa nostra, quod ibi *distrahere* non simpliciter positum est pro *discerpere,* sed propterea quod simul significat: *nach zweien Seiten aus einander ziehen,* quod ex sequenti narratione de discerpendi ratione apparet. Neque vero persuadere mihi potuit Heumannus in nota, *cum* esse h. l. praepositionem, et *distrahi cum aliquo* latine dici pro: *ex alicuius amico fieri inimicum.* Quis enim putet, loco Ciceroniano, de Off. 3, 8. *non nobis cum tyrannis societas est, sed summa distractio,* hunc loquendi modum probari posse, ut dicatur *cum aliquo distrahi* eo sensu, ut sit: *ex amico alicuius fieri inimicum.* Sed si vel maxime id concesserim, quid profecimus hac significatione, quae obtinere potest, si de hominibus, qui societate ante coniuncti fuerunt, usurpatur, ideoque ad hunc locum transferri non potest, quod Cicero item dicit: *Deiotarum cum regno, cum domo distrahi.* Quapropter verissimum esse contendo, apodosin totius loci, quae incipit a verbis: *quonam ille modo,* structura sua significare oratoris animum commotum: hinc aposiopesis, hinc repetitio coniunctionis *quum,* vim ut orationi conciliet sive ut audientis animum convertat ad singula deinceps, a quibus Deiotarus distrahatur, ut non absimilis sit loco illi in Div. in Caecil. 6. *tamen te offeres? tamen eos defendes? tamen his operam tuam pollicebere?* Similes sunt loci pro Arch. c. 6. ad Div. 9, 14. Verr. 1, 15. Quae quum viginti annis ante de hoc loco aliquando exposuissem, nunc accuratius tractata repetiissem, amicus quidam monuit, Torkillum Badenum eandem sententiam in Seebodii libro utilissimo *(kritische Bibliothek),* anni 1821. fasc. 2. p. 218. protulisse, quamquam is locum attigit tantum, non omnia ad liquidum perduxit. Nihilominus tamen hanc meam rationem Orellius in editione sua sequi noluit, atque vulgatam retinuit, existimans, eo sensu capi debere *cum aliquo distrahi,* quo vulgo sumi solet, *cum aliquo dissidere, dif-*

ferre; at primum quaeram, num *distrahi cum aliquo* ullo in loco ita usurpetur, deinde si referatur *quonam modo* ad *distractus esset,* quid tum ea verba denotare putes, quum nostrum: *wie würde er u. s. w.* si eo sensu usurpatur, ut sit: *wie sehr* neutiquam respondeat Latinorum verbis *quomodo,* quod semper significat: *auf welche Weise.*

At, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? Quanquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto.] Graevius scripsit: *quis rectior?* quod lectio: *quis tectior?* contextui non conveniat; significari enim hominem, qui alia simulet, quam cogitet, qui simulet amicitiam, quamquam corde premat odium capitale; quod non cadat in regem Deiotarum et hunc sermonem. Eandem lectionem praetulit Schützius; Ernestius scripsit: *quis tectior?* uncis autem ea verba inclusit, quod neutrum bonum sensum faciat. In quo tamen omnes falsi sunt. Paucorum codicum auctoritas v. c. Dresd. Erf. Col., in quibus *rectior* Graevius se reperisse profitetur, nos nihil movere potest. Discrepantia adeo quaedam sermonis existeret, si orator dixisset: *quis rectior?* quibus verbis a virtute et moribus regem laudasset, quae omnia ab hoc contextu aliena forent, quum a prudentia eum commendare et laudare debuerit; obverterat enim: *at, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat;* addit deinde: *quanquam h. l. Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto.* Hinc *tectior* veram lectionem esse statuo, quod hominem significat, qui animo ficto et simulato astute tegit cogitata, *der sich nichts merken lässt von dem, was er im Sinne hat.* Vide pro Rosc. Am. c. 40. *tecti esse ad alienos possumus.* De fin. 2, 17. *Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, ut* etc. Eandem lectionem *tectus* contra lectionem alicuius codicis, *rectus,* defendit Garatonius Phil. 10, 3. eandemque se defendisse ibi profitetur in notis ad nostrum locum orationis pro rege Deio-

taro, quarum exemplaria in itinere, quum Neapolin mitterentur, perierunt.

Cap. 7. *Ego mehercule, C. Caesar, initio, quum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni.*] Valde miror, quod interpretes, quum uno ore in expungenda voce *existimavi* ante *adolescente,* quam cum in aliis codicibus desiderarent, tum Muretus in VV. LL. II, 16. in antiquo aliquo codice deesse ac merito deesse contenderet, consensissent, non reliquis naevis locum nostrum, quibus laborat, liberaverunt; namque idem Muretus in suo codice se habere professus est: *medicum indicem subornavit?* ut respondeat quasi sibi ipse: *finget videlicet aliquod crimen veneni.* Accedit, quod eandem lectionem exhibent aliquot codices Gruteri et adstipulantur etiam Erf. et Col. a Graevio collati. Nam quum dicit orator: *subornabit,* suspicatur aliquid, quod tamen revera suspicari non poterat, sed iamdudum compertum habebat; subornatio servi pertinebat ad caussam, quam ad se delatam esse paullo ante dixerat. Quid? quod statim ab initio Cicero criminis atrocitatem eo maxime augeri dixerat, quod servum nepos subornasset. Hinc suspicio, qua se percussum esse dicit, nulla alia esse poterat, quam: *crimen veneni confinxisse.* Hinc Ernestius non scribere debebat *subornabit,* neque Schützius sic interpungere, ut, quamvis praeferret merito perfectum, signum (;) poneret post eam vocem.

Quod igitur et occultius conari et efficere cautius potuit, id tibi et medico callido et servo, ut putabat, fideli non credidit; de armis, de ferro, de insidiis te celare voluit.] Miram sane ac prope subabsurdam huius loci exhibuit interpretationem Heumannus. Putat enim, *tibi* non pendere a verbo *credidit,* nec referendum esse illud *tibi* et, quod sequatur, *te* ad servum Phidippum, sed ad Caesarem; hinc suspicatur, *tibi* h. l. per Graecismum παρέλκειν, et post locum a librario, qui priora male ceperit, depravatum, ita

corrigendum esse, ut omnia referantur ad Caesarem: *armis, ferro, insidiis necare te voluit?* At cui in mentem veniat suspicari, hic ab oratore non compellari medicum, sed Caesarem? Neque tamen non fraudi fuit illud *tibi* novissimo editori Ciceronis operum, qui post *tibi, Phidippe,* excidisse putat, qua compellatione contextus potius interceptus fuisset, quum orator aperte dicere velit: *tibi utpote medico callido et servo fideli non credidit.* Quanquam enim priora omnia ad Caesarem dixerat, nemo tamen dubitet, quin verbis: *quod igitur et occultius,* orator se ad servum converterit; quod in oratione, quae habita est, multo minus offendere debent.

Sed tamen res acta criminose est.] Schützius sine ulla codicum auctoritate coniecturam Ernestii recepit: *dicta* pro *acta.* At Cicero dicere vult, omnia, quae acta sint, nihilominus talia esse, ut exinde crimen peti possit. *Dicta* esse criminose res dici non poterat; nam si recederent a vero, profecto mirum erat, si non ad suam caussam tuendam aptius omnia fingerent.

Quid tum?] Sic fere omnes libri scripti vel editi; duo Oxx. habent: *quid tu?* quod nescio quomodo Moebius defendere velit. Quid enim tali sermoni potest esse accommodatius, quam hic, animo quum addas: *factum est,* sive *fecit* (Deiotarus), dicere: *quid tum?* posteaquam omnes insidiae, quas struxerat Deiotarus, Caesari enarratae sunt?

Ita demens ille erat, ut eum — Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C. Caesarem, cui fecisset iniurias? praesertim quum is unus esset, qui posset de absente se vindicare?] Victorius quidem non inepte coniecit: *de se indicare posset,* ita ut ista ad Phidippum, non ad Caesarem referenda essent. At hic primum quaeram, num verum sit, unum fuisse, qui Caesari id indicare posset, Phidippum, quum sciret rex, nepotem inimicissimum esse Caesari; aut quis statuat, quum insidias illas sic palam in Caesarem molitus esset, nec quidquam clam egisset, uni Phidippo rem innotuisse? Deinde in codicibus nuspiam id reperitur, in quibus est, aut: *de*

absente se vindicare, aut *qui posset se de absente iudicare.* Ac propterea haud dubie Schützius: *de absente se indicare* in textu imprimi curavit, qua tamen structura, *de absente se*, magis etiam suspecta fit coniectura *indicare*, quod aegre quis dicat pro: *de se absente*; *de absente se indicare.* Offensam et omnem suspicionem effecit hoc in loco praepositio *de*, quum latine quidem dicatur: *ab aliquo se vindicare*, non *de aliquo se vindicare.* Illud hic absurdum foret, quod Caesar, scelere Deiotari sibi indicato, unus erat, qui de absente se ulcisci posset, non qui absentis quasi impetus a se arcere posset. At *de* significat h. l. i. q. *quod attinet ad*, quo sensu saepius usurpatur: *der sich in Hinsicht auf den abwesenden Beleidiger rächen konnte.* Similis est nostro loco ille Plinianus 4, 11. sub finem, ubi de Liciniano, quem rhetorem, in Sicilia exulem viventem, in praefationibus, quibus aperuerit scholas rhetoricas, in sortem suam iniquam multa acerba dictitasse narrat, haec dicit: *ex quo tamen postea clementia divi Nervae translatus est in Siciliam, ubi nunc profitetur* (i. e. scholas habet rhetoricas) *seque de fortuna praefationibus vindicat.* Exprobraverat enim fortunam, aliquando scholas aperiens, his verbis: *quos tibi fortuna ludos facit?* Valde miror, quod Orellius damnata scriptura plurimorum codicum et editionum optimarum, *de absente se vindicare* praetulit lectionem, quae est tantum aliquot Oxx. et codd. regiorum: *de absente se indicare.* Sic enim locum interpretatur eumque defendit: de absente indicare poterat Phidippus. Deiotarus ipse si Romae fuisset, servum conscium domi ita constrictum retinuisset, ut nulla ei fuisset facultas indicii apud Caesarem faciendi. At sic aegre hunc sermonem ab absurditate quadam vindicaret. Nam primum unde illa cogitatio: si Deiotarus Romae fuisset, eum constrictum tenuisset? Nonne aberat satis, quum esset in Asia? Cur hoc Ciceronem hic animo conceptum habuisse credas: *si Romae Deiotarus fuisset?* Deinde, quid dixit omnino dicens: *de absente se*, eo sensu si ista sumis? Quis unquam aliquid de altero subornatus indicavit, eodem illo praesente? Semper necesse est, ut is, qui accusatur hoc

modo, absit. Denique dicere non poterat, *unus erat, qui de absente se indicaret,* quum Castorem Phidippus socium haberet. Moebius denique retinet quidem vulgatam scripturam: *de absente se vindicare,* at male defendit eam, referens *se* ad Phidippum. Nonne in universo sermone atque his interrogationibus subiectum est Deiotarus, ita ut, si velles sermonem sibi constare, scribendum fuisset *eum,* non *se?* Si Orellius contendit, vim, quam ego tribuendam esse puto his verbis *de absente se vindicare,* insolitam esse, facile id concesserim; quod si non esset, profecto non tanta iudiciorum diversitas de eo loco exstitisset.

Et fratres meos, inquit, quod erant conscii] Nihil peius coniicere potuit Heumannus, quam *at* pro *et* hic ponendum esse, quam coniecturam Schützius recepit. Neque enim hic Phidippus, qui loquens inducitur, aliquid proferre existimandus est, quod adversetur superiori sententiae, aut ei oppositum sit, quod dementiae esse modo dixit, si Deiotarus Phidippum mittat Romam illarum rerum conscium. Immo, ipsum illud, quod fratres domi tenuisset, inserviebat sententiae probandae: Deiotarum dementem esse. Itaque Phidippus hic novum aliquod crimen afferre vult, ex quo pateat, Deiotarum Caesaris vitae insidiaturum fuisse. Paullo post male Ernestius coniecit *scisse,* quam coniecturam temere recepit Schützius.

Cap. 8. *Non quaero, quam verisimile sit — eos vinctos potius, quam necatos fuisse.*] Hic Orellius *fuisse* uncis inclusit, quod in cod. Col. Dresd. Erf. Oxx. 5. desideratur, atque sane suspectum esse debet, quod saepe, ubi nulla obtinet scripturae varietas, tali in contextu omittitur, uti supra docuimus.

Addidit etiam illud, equites non optimos misisse. Veteres, credo, Caesar, nihil ad tuum equitatum; sed misit ex iis, quos habuit, electos.] Non debebat Heumannus sine ulla codicum auctoritate post *misisse* inserere *tibi,* quod idem fecit novissimus editor Schützius. Neque enim ulla ambiguitas admittitur, quasi haec ad Caecilium referri possint, quum satis constet, quo consilio ad Caecilium legatos a rege missos esse accusator perhibuerit, adeo

ut minime obscurum sit, quum semel dixerit: *equites non optimos misisse,* ad Caesarem ea referenda esse. Deinde sequentium verborum explicatio ab Heumanno commendata, qua verba: *nihil ad tuum equitatum* accusatoris respondentis, et: *sed misit ex iis q. h. electos* Ciceronis verba esse vult, minime probanda est, quod nulla idonea ratione adducimur, quin haec omnia Ciceronis verba esse credamus.

Cap. 9. *Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus sit, seseque exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare.*] Heumannus verba: *et filium* post *seseque,* quanquam in codd. non reperiantur, in textum recipienda esse contendit, quod orator paullo post dicat: *et se et filium suum constitutos* et c. 13. *tu et ipsi et filio nomen regium concessisti.* At locorum istorum ratio dissimilis est: non propterea, quod hic filium memoravit, memorare etiam illic eum debebat. Quod attinet ad regiam dignitatem et regium nomen a Caesare concessum, opus erat adeo declarare, id pertinere et ad patrem et ad filium; declaraverat haud dubie ipse Caesar.

Cap. 10. *Quum vero exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui, post Pharsalicum autem proelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum* etc.] Ernestius *post Pharsalicum proelium* glossam et pro *fuissem, essem* ponendum esse putat. At sermonis cuidam negligentiae tribuendum esse videtur, quod dicit: *post Pharsalicum autem proelium;* namque haec opposita cogitanda sunt τῷ *semper auctor fui pacis;* oblitus igitur quodammodo fuit eorum, quae dixerat: *exercitu amisso.* Praeterea autem omnino eam scriptionem, ut ante sit, *fuissem,* deinde *essem,* ab Ernestio commendatam, et a Schützio receptam, probare non licet, quod in codd. est, aut: *qui pacis auctor semper fui — suasor fuissem* etc. aut, *qui pacis auctor semper, Pharsalico autem proelio suasor — abiic. fui.* Haec obtinet in cod. Dresd. et Lamb. 1566., illa in codd. plerisque Ven. Iun. Crat. Grut. Graev. Quam expressimus in contextu, eam habent duo Oxx. Lamb. in adnott. Waldorf, eamque sequutus est Orellius.

Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed etiam accusandi licentiam; calamitosus Deiotarus, qui ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur.] Equidem hic facile concesserim, longe expeditiorem sermonem fore, et magis ordinatum, si scriptum esset, uti locum volunt Orellius aliique constituere, *qui non modo ab eo, qui in iisdem castris fuerit, apud te, sed etiam a suis accusetur.* Verum vel sic facile defendi potest. Sensus est: Tu Caesar illi non tantum culpae veniam, sed etiam accusandi veniam dedisti; calamitosus est igitur Deiotarus, quum is, qui in eadem culpa est, non modo eum apud te accuset, sed etiam accuset domesticus, nepos quum sit. Itaque loci ratio non pervertitur, quum subiectum quasi fit is, qui in eadem culpa sive in castris iisdem fuit, atque deinde sequitur, — non tantum socium suum apud te accusare audet, sed etiam domesticus, nepos quum sit. Caeterum videtur haec verborum complexio, quae aliquantum offensionis habet, e verborum quadam oppositione *apud te,* et *a suis accusetur* magis, quam e sententiarum oppositione nata esse. Nam hic non una enuntiatio comprehendit omnia, unde ista turba nascatur, sed enuntiatio in duas dispescitur partes. Deiotarus calamitosus est, quod is eum accusat, qui in iisdem partibus fuit, et quod eius domestici eum accusant, quod non tantum *ab eo, qui in iisdem castris fuerit, sed etiam a suis accusetur*. Itaque offendit illud, quod sententiam: domestici eius etiam eum accusant, sic effert, *non modo apud te, sed etiam a suis.* At quidni ad verba *non modo apud te* contextui satis accommodate animo addas: *quod per se grave est, etiam quum alieni aut peregrini id faciunt,* quanquam eam dicendi rationem etiam verborum praepositionis et pronominis, *apud te* et *a suis,* oppositio quodammodo effecisse videtur. Illud certe ne omitte, verba *apud te,* quae offendunt, in illa interpretatione Orellii allata, sic posita esse, ut non minus offendant, quum proprie scribi debebat, *sed etiam apud te a suis accusetur.* Itaque in eo loco interpretando propius accedo Moebii explicationem, qui sensum esse

dicit, ne dicam apud te, sed omnino a suis accusetur, atque glossae illae in Oxx. Ven. Iunt. *non modo a peregrinis apud te* facile arguunt, eam interpretationem esse sequendam, neque quidquam transponendum.

Cap. 11. *Quae est ista tam impotens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas?*] Valde verisimile est, difficiliorem lectionem *impotens* in tali contextu genuinam lectionem esse, quum Lambinus et Ursinus in antiquissimis codd. eam se invenisse profiteantur, et Heumannus probaverit locis allatis, *impotens* cum *crudelis* cum a Cicerone, tum ab aliis scriptoribus coniungi, ad fam. 10, 27. *sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi domini restitutura est.* ad fam. 4, 4. *victoria, quae etiamsi ad meliores venit, tamen eos ferociores impotentioresque reddit.* Phil. 5, 8. *effrenatio impotentis animi*; ibid. 9. *venit in provinciam firmissimorum et fortissimorum civium, qui illum, ne ita quidem si venisset, ut nullum bellum inferret, ferre potuissent impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium.* Habet eam scripturam etiam edit. Steph. Oxx. Lamb. 1584. Orellius eam non recepit.

Cap. 12. *optimi viri*] Sic e codd. plerisque et Prisciano lib. 18. T. 2. p. 168. Krehl. scribendum esse putavimus cum Orellio, quum reliqui habeant *optimi hominis.* Et paullo post cum Orellio e Lambiniana *solus* repetivimus, ita ut sit, *solus, solus, inquam.*

Cap. 14. *summam vero necessitudinem magna eius officia et in me et in exercitum*] Recepimus merito cum Orellio e Dresd. et Oxx. *et* ante *in me.* Reliqui omnes *et* omiserunt.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Ad praefationem notandum est, quae de notis in Cic. oratt. pro Ligario, rege Deiot. olim editis dicam, ad Progr. Numb. 1823. editum referenda esse.

pag.	176	lin.	17	dele lineolas super „mores", quod vocabulum aliis litterarum formis describendum erat.
—	—	—	28	expunge interpunctionis signum (,) post *excidisse*.
—	—	—	36	expunge *non* post *quin*.
—	177	—	4	corrige *iidem* pro *idem*.
—	—	—	14	scribe *editori* pro *scriptori*.
—	—	—	15	scribe *cogitarent* pro *cogitarem* et adde hic: ut vocabulum in contextu *iudices* pro vocativo habendum esset.
—	180	—	4	dele lineolas super vocabula *atque* et *probitatis*.
—	181	—	27	scribe *dicendi* pro *linguae*.
—	182			infra tolle „ " ad vocabula *mater mihi*.
—	185	lin.	2	post *dixisse* adde *Ciceronem*.
—	203	—	25	scrib. *possitis* pro *possetis*.
—	211	—	1	post *effecit* interpungendum, sive (;) ponendum est.
—	—	—	6	a fine exp. *quo*.

pag. 212 lin. 2 pro *dicere* scribe *dicimus*.
— 214 — 5 pro *usu* scr. *usi*.
— 234 — 13 scribe post *debeamus*, *eos*.
— 236 — 5 scribe *idemque* pro *eandemque*.
— 248 — 8 dele (;) et pone (,) post *his*.
— 257 — 17 scribe: *statuit*, pro *statueris*, *habeat* pro *habet*, et adde *pacem* post *Hannibal*.